

PALAESTRA

LATINA



N. 222 — ANN. XLIII — FASCIC. II
M. MAJ. AUG. — A. MCMLXXIII

P A L A E S T R A L A T I N A

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
CAESARAUGUSTAE EDENDI

COMMENTARIORUM CONSILIU M

Praeses: J. M. Ciller, CMF.
Moderator: M. Molina, CMF.
Administrator: H. Arenas, CMF.
Curator technicus: J. Aspa, CMF.
Praecipui scriptores: J. M. Mir, CMF. - J. M. Jiménez, CMF.

MODERATIONIS LOCUS cui mittenda sunt scripta:

Colegio Menor — CALATAYUD (Zaragoza - España)

ADMINISTRATIONIS SEDES cui pretium mittatur oportet:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

PRETIUM SOLVENDUM

- pro commentariis quotannis edendis:
 - in Hispania constat 100 pesetas
 - in America Hispanica 100 pesetas
 - in Gallia 12 francis
 - in Italia 1400 libellis
 - in Germania 10 marcis
 - in Anglia 20 solidis
 - in reliquis civitatibus 3 dollaribus
- pro serie integra cujusque superioris anni:
125 pesetas constat in Hispania.
- pro quoque fasciculo qui separatim venit:
30 pesetas in Hispania constat.

MONITUM

Socios rogamus nostros, qui nobiscum pactionem suscipienda
PALAESTRAE LATINAЕ certa pecunia fecerunt, ut pretium anni 1973
vel superiorum annorum quam primum ad nos mittant, si nondum
id habuerint solutum. Si quis pretium in posterum non solvit, non
ei commentarii mittentur. Nam commercium cum sociis epistulare
continuum ad petendam subnotationis pecuniam sustinere non pos-
sumus, cum gravius in re oeconomica Palaestra Latina oneraretur
eiusque pretium necessario adaugere cogeremur, quod totis viribus
vitare volumus.

Hac data ocassione Palaestrae Latinae sociis propter eorum erga
nos humanitatem etque aestimationem gratias quam maximas ha-
bemus.

www.culturaclasica.com

MAJ. — AUG.
—
MCMLXXIII

222

ANN. XLIII
—
FASCIC. II

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
SOCIIS CLARETIANIS TER IN ANNO EDENDI

I N D E X

N. 222 — ANN. XLIII — FASCIC. II

M. MAJ. AUG. — A. MCMLXXIII

| | |
|--|-----|
| B. S. POVSIC, <i>Ovidiana</i> | 67 |
| J. MORABITO, <i>Apella ad Flaccum</i> | 79 |
| J. M. MIR, C. M. F., <i>Nova verba latina</i> | 83 |
| A. GRILLONE, <i>De simulatis somniis apud graecos atque romanos scriptores</i> | 99 |
| J. AMBROSI, <i>Materni carmen amoris</i> | 105 |
| AEM. PIOVESAN, <i>De Vergili mirabili vi in comparationibus effingendis</i> | 109 |
| J. MARINELLI, <i>Astronavis «Apollo XVII» postremun iter peregit.</i> | 113 |
| M. MOLINA, <i>Bibliographia</i> | 119 |

OVIDIANA

DE PRIMO OVIDIANI CONVENTU TOMIS HABITO

Primus Ovidiani Conventus Ovidianis Studiis Fovendis Constantiae in Dacoromania, cui oppido antiquitus Tomis hodie Constantia nomen est, a die XXV usque ad diem XXXI mensis Augusti anno MCMLXXII celebratus est.

Sessio auspicalis die XXV mensis Augusti, hora decima antemeridiana in theatro dramatis Bulevardul habita est. Nicolaus Barbu, Ovidiani praeses et Philologiae Classicae apud Studiorum Universitatem Bucurestiensem professor, coram summis civitatis moderatoribus Primum Ovidiani Conventum solemniter initum declaravit. Deinde academiarum societatumque scientiarum nec non studiorum universitatum legatis, qui undique Tomos Primo Ovidiani Conventui Celebrando convenerunt, omnes participes salutandi facultatem dedit. Quibus absolutis praeses ipse orationem luculentissimam «De universo Ovidii poetico» habuit.

Post meridiem ejusdem diei diebusque sequentibus in aulis Instituti Paedagogici Tomitani viri docti, qui ex omnibus fere gentibus Tomos convenerunt, de Ovidii vita, de ejus operibus atque arte scitissime eruditissimeque disseruerunt. Omnes, qui verba fecerunt, velimus hic nominare, quod tamen pagina vetat. Necessae ergo est paucos tantum seligamus, qui in hoc conventu investigationes ac reperita sua collegis proposuerunt. Nomina eorum et res, de quibus egerunt, ordine quo locuti sunt, infra memorabimus.

1. OLYNDUS PASQUALETTI, *Quid de Ovidii operibus quae inscribuntur Amores, Ars amandi, Remedia Amoris, Heroides, Medicamina faciei, de carminibusque a poeta exule scriptis judicatum sit ultimis XX annis in Italia.*
2. MICHAEL VON ALBRECHT, *De arte narrandi Ovidiana.*
3. RICHARDUS AVALLONE, *De humanitate Ovidii.*
4. VILLELMUS NETHERCUT, *Ovidius de hominibus.*
5. JOANNES IRMSCHER, *De Ovidio apud Byzantinos.*

6. CASIMIRUS KUMANIECKI, *De Ovidio apud Polonos.*
7. CAIETANUS GANTAR, *De Ovidio in litteris slovenicis.*
8. JOSEPHUS EICHENSEER, *De Ovidio inter duos mundos, Romanitatem et Christianitatem.*
9. BOLESLAUS POVSIC, *De nostrorum et Romanorum vita, ut ex Ovidii Amoribus colligitur.*
10. ANGELA MINICUCCI, *Quid ex operibus Ovidii in opera Leonardi da Vinci derivatum sit.*
11. VICTOR POSCHL, *De Lycaone Ovidiano.*
12. RADULFUS VERDIÈRE, *De Amore quodam secreto Ovidii: Corinna.*
13. RICHARDUS DANKA, *De Ovidii religione.*
14. RICHARDUS KRILL, *Mythologia in Ovidii operibus amatoriis.*
15. CAROLUS FANTAZZI, *De fabula Baucidis et Philemonis.*
16. ANDREAS THIERFELDER, *Epicedion Pubpii Ovidii Nasonis.*
17. JACOBUS DIGGLE, *De interpretatione Artis Amatoriaie, 627. 630.*
18. ROBERTUS SCHILLING, *De Nasonis interiore religione.*
19. JOANNES MARIA ANDRÈ, *Quid Ovidius de barbaria senserit.*
20. PETRUS PALOP FUENTES, *De Ovidii exsulantis desiderio.*

Post unamquamque orationem disputandi facultas omnibus data est, quam nacti multi de locis obscuris minusve bene explicatis vel omissis, plerumque latine, subtiliter utiliterque disseruerunt. Nam in hoc conventu oratores cum lingua latina, tum Dacoromana vel quoque Italica, Germanica, Gallica usi sunt.

Sed non solum ad acroases conventus participes intenti fuerunt, sed die 25, hora octava p.m. receptio conventus participum a Concilio Ovidiani in Curia Tomitana habita est, ubi inter crustula potationesque varias legati familiariter inter se colloqui potuerunt nexusque amicitarum plectere atque renovare. Die vero 26, hora quarta post meridiem Colloquium Archaeologicum in Musaeo Archaeologico Tomitano a Radu Vulpe et Hadriano Radulescu habitum est, quod quidem omnibus cum documento tum delectamento summo fuit. Multa enim ibi et varia ad Dacoromanorum antiquitates et historias pertinentia religiosissime asservantur atque custodiuntur, quae a viris in his rebus peritissimis, quos supra nominavimus, dilucidissime adstantibus proposita sunt. Hora vero octava post meridiem ejusdem diei spectaculum festivum in theatro dramatis Boulevard habitum est, in quo fabula illa a Gr. Solceanu condita, quae Ovidius inscribitur, a Barbu autem latine elegantissime reddita, ab alumnis Studiorum Universitatis Bucurestiensis mirum in modum acta est.

Horis postmeridianis proximi diei, id est die 27 mensis Augusti, peregrinatio ad loca urbesque Ponti Euxini amoenissima celeberrima que habita est. Die denique 30 excursio ad societatem vinicola, cui nomen, si bene memoria teneo, Murfatlar, facta est, ubi et vinum illud optimum degustare visitatores potuerunt.

Hoc quoque addendum: die 28 mensis Augusti lycaeо cuidam Constantiae sito coram Constantiae Sulmonisque decurionibus et proceribus innumerisque civibus, nomen novum sc. Ovidius, solemnissime inditum est. (Lectores nostros profecto non latet Ovidium Sulmone in Italia media natum, Tomis vero sive Constantiae mortuum esse). Hac occasione Robertus Schilling, Argentoratensis ille professor in religionibus cum Romanorum tum Graecorum peritissimus, exterarum gentium nomine orationem splendidissimam coram adstantibus habuit, qua «morum consuetudinumque» Romanorum Dacoromanos custodes diligentissimos religiosissimosque esse affirmavit exemplisque multis confirmavit. Quam orationem omnes maximo cum plausu comprobaverunt.

Acroases omnes atque disputationes ceteraque, quae majoris sunt momenti, in Actis Primi Conventus Ovidiani ejusdem societatis moderatores Sulmone in Italia quam primum edenda curabunt.

Nos vero qui conventui huic adfuimus Americanorum societati, cui vulgo *The American Council of Learned Societies* nomen est, nec non professoribus nostrae studiorum universitatis investigationibus provehendis praepositis, quod *Faculty Research Committee* dicimus, qui itinerum victuumque nostrorum universos sumptus sibi solvendos susceperunt gratias quam maximas, iterum iterumque agimus.

Scripsimus Boulingrinii mense decembri A. D. 1972

BOLESLAUS S. POVSIC

S A L U T A T I O

Carissimi sodales:

Ovidianum, quod studia poetae Sulmonensis Tomitani facti, inter omnes gentes provehit, peropportune in Dacoromania conditum est, ubi Ovidius ultimam partem vitae suae transegit. Hic enim Ovidius ab anno VIII usque ad annum XVIII p.Ch.n. multa passus est, hic Epistulas ex Ponto et Tristia illa scripsit, hic multum laboravit multumque speravit. Ovidius hanc Tomitarum terram laboribus et doloribus suis omnibus notam et caram fecit. Inest enim in doloribus laboribusque humanis nescio quid divini, quod omnes mortales movet et tangit eosque sibi arcana quadam vi allicit et devincit. Hanc ob causam Tomos libentissime veni, ut loca, ubi poeta noster ambulavit, ut aerem quem ipse spiravit, ut mare in quo certe natavit, ut caelum quod tam saepe miratus est, meis oculis viderem et contemplarem. Veni praeterea, ut acroasisibus disputationibusque vestris, viri doctissimi, aures attente praeberem multaque a vobis de Ovidio discerem.

Quamobrem te, Nicolae Barbu, Ovidiani et Conventus praesidem, et te, Gregori Tanasescu, ab actis, ceterosque adjutores vestros et collegas Dacoromanos, qui hunc conventum convocastis et dirigitis, nobilissimum denique populum Dacoromanum, qui hospitem me benigne recepit, valere jubeo. Omnibus vero, qui huic conventui interestis, magnos successus in laboribus vestris a Deo peto.

Scio me concivium meorum voluntates interpretaturum et eorum omnium, qui in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus in litteras latinas praesertimque Ovidianas incumbunt, si vos eorum nomine saluto et vobis omnia fausta et prospera precor. Persuasum enim nobis est hunc Ovidiani conventum primum multorum esse, qui in futurum celerabuntur, ut studia in Ovidium in dies crescant ejusque opera apud omnes gentes magis innotescant. Dixi.

Scripsi Boulingrinii mense Junio, 1972.

B. S. Povsic

DE ROMANORUM ET NOSTRORUM VITA UT EX OVIDII AMORIBUS COLLIGITUR

Cum Ovidii Amores legerem, multa, quae in eis scripta vidi omnino ex usu excidisse ac fere penitus oblivione obruta esse notavi, alia vero adhuc apud nos in cotidiano usu esse comperui, alia denique naturae humanae insita atque innata semper vera esse animadvertisi. Primum de eis, quae ex usu omnino exciderunt, deinde de eis, quae apud nos adhuc vigent, denique de eis, quae semper vera esse videntur, pauca dicam.

QUAE APUD NOS EX USU EXCIDERUNT

Memoria hominum ille pernicionissimus apud omnes gentes mos viguit occidendi scilicet homines sive jussu publico sive privato arbitratu. Mos adhuc manet, sed modus occidendi mutatus est. Dum, ut apud Ovidium scriptum videmus, veteres veneno potissime inimicos occidebant, apud nos sclopeto aliisque hujus generis armis inimicos interimere placet. Nam in Amoribus in hos et similes versus saepissime incidimus:

«ultima cena tuo sit precor illa viro.»¹
«quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse jubeto.»²

Alio loco apertius idem dicit:

«impia sub dulci melle venena latent.»³

Occidere veneno inter cenam communissimum erat, cum apud Romanos tum Renatis Litteris, quod usque ad tempora recentiora perduravit, novissimis tamen temporibus apud nos hic mos fere omnino extinctus est.

In elegia octava, libri primi, Ovidius multis de rebus agit, quae ad mores et vitam Romanorum pertinent. Hic tantum de «re magica» pauca tangamus, cum res non solum per multa saecula, sed

1. Amores 1, 4, 2.

2. Amores 1, 4, 29.

3. Amores 1, 8, 104.

etiam per multa millenia magni esset momenti. Nam fere omnes homines, perpaucis tantum exceptes, qui cum ingenio tum bonitate animi quam maxime excellebant, hanc perniciosissimam doctrinam sequebantur. In primo Amorum haec scripta videmus:

«est quaedam nomine Dipsas anus»⁴
 «illa magas artes Aeaeaque carmina novit»⁵,

quibus scilicet omnia fascinare poterat ac suo arbitrio et malae voluntati flectere. Haec pessima et damnosissima superstitione saeculis futuris innumeris feminas innocentes igni comburendas mittet. Nec mirum, nam tam diu tamque penitus haec superstitione animis humanis insedit atque haesit, ut eam recentissimis tantum temporibus, saltem publice, superaverimus et ejecerimus. Nulla forte prava et falsa religio tot innocentibus tam crudelissimae et tam ignominiosissimae mortis causa fuit.

Sunt quoque nonnulla leviora, quae communissima pud antiquos, rarissima apud nos, ne dicam extincta, sunt. Ille enim aliis carmina mittendi mos, praesertim puellis, vix apud nos superesse mihi videatur; quamobrem tantum prior pars hujus versus adhuc apud nos vera esse videtur:

«Ecce quid iste tuus praeter nova carmina vates donat?»⁶

«Quid iste tuus... vates donat?» Nihil scilicet nisi carmina. Apud nos viri puellis gemmas aliaque hujus generis dono mittere solent, qui mos, cum ipse «aequum jus» cum viris consecutuae fuerint, utrum superfuturus sit necne, posteris dijudicando relinquendum est.

«Dotem» quoque hanc multae nostrae vix intellegent, quid sibi vellet:

«est quoque carminibus meritas celebrare puellas
 dos mea: quam volui nota fit arte mea,»⁷

nisi, forsitan «ars» illa amantis in pecuniam converti posset. Sed si quis hodie carmina amatae dono mittat, haec occultemittenda sunt. Videtur enim aliquid insolitum et inauditum, quod levi viro concedi forsitan potest, gravi tamen nullo modo. Idem dicas de «notis» illis furtivis sive «tabellis», quas veteres per fidissimas servas amantibus mittere solebant. Elegia undecima libri primi de hac re singillatim

4. Amores 1, 8, 2.

5. Amores 1, 8, 5.

6. Amores 1, 8, 57.

7. Amores 1, 10, 59-60.

agit. In hac elegia Ovidius certiores nos facit, se, si tabellas a Corinna per Napem accipiat, eas Veneri dedicaturum esse. Haec enim dicit:

«suscribam 'VENERI FIDAS SIBI NASO MINISTRAS
DEDICAT AT NUPER VILE FUISTIS ACER.»⁸

De tabellis mittendis accipiendisque Ovidius saepe agit variis in locis, ut in libro primo:

«tristes rediere tabellae»⁹;

et iterum alio loco:

«cur totiens video mitti recipique tabellas?»¹⁰

Nostri haec non faciunt, vel si faciunt, rem per telephonum agunt.

At si quia superiora ex usu exciderunt nihil profecto nobis dolendum est, certe multo minus nobis querendum est, quia stirpis et gentis originem et antiquitatem nihil nostri faciunt, de qua re antiquam saepissime gestiunt. Nam in hac re nos multo sapientiores eis sumus. Dum Ovidius saepe se equestri tantum genere natum pauperemque esse conqueritur, nos vix de «ceris nostris» (quae, ut vera dicamus, fere semper nullae sunt) nominandis, ne dicam extollendis, curamus. Rectissime quidem nos, «qui nos» simus, non qui maiores nostri fuerint, magni facimus. Ovidius tamen aliter de hac re sentiebat ac nos, ut ex his versibus liquido patet:

«si me non veterum commendant magna parentum
nomina, si nostri sanguinis auctor eques,
nec meus innumeris renovatur campus aratris»¹¹

tamen me

«accipe, qui pura 'norim' amare fide».¹²

Nos «novos homines» esse non solum non erubescimus, sed etiam gloriavimus. Nos nostra gloria non aliena refulgere volumus: hic ho-

8. Amores 1, 11, 27-28.

9. Amores 1, 12, 1.

10. Amores 3, 14, 31.

11. Amores 1, 3, 7-10.

12. Amores 1, 3, 6.

nos, haec laus apud nos: ex humili loco ad summum nostris viribus nostrisque meritis pervenire. Qua in re rectius nos judicare quam veteres, quis negabit? Veteres tamen, ut vera dicamus, idemque Ovidius virtutem omnibus anteponendam esse in nonnullis locis dicit, ut in ipso loco, quem supra protulimus, et «ceris» et divitiis «fidem puram» paeferendam esse aperte confitetur.

Hoc quoque nobis laudi forsitan tribuere possumus, quod pueros in ludo caedere abolevimus, quod Ovidii temporibus usitatissimum omnibusque probatum fuisse satis constat. Nam in Amoribus haec scripta videmus:

«Tu (Aurora) pueros somno fraudas tradisque magistris
ut subeant tenerae verbera saeva manus». ¹³

Utrum nos in hac re prudentius agamus necne, adhuc sub judice est, sed nullum certum est veteres in discipulis puniendis nimia severitate, ne dicam crudelitate, usos esse.

Vel illud:

«lanificam revocas ad sua pensa manum» ¹⁴

quod tanto et tali honori Romanis fuit puellis, vix nostris aptari potest, quae si adhuc aliquid forte nent, (paucissimae enim nere sciunt) hoc per lusum atque delectationem, non per officium et necessitatem faciunt. Nam hodie machinae melius et celerius texunt quam mulieres.

De his hactenus; nunc de eis quae adhuc apud nos vigent, pauca dicemus.

QUAE APUD NOS ADHUC VIGENT

Si multa, quae tempore Ovidii viguerunt, excidisse vidimus, nonnulla tamen adhuc apud nos vigere videmus. In primis illa in equos insaniam atque admiratio, quibus hodie quoque tot homines in haec animalia devinciuntur. Legenti mihi elegiam illam secundam libri tertii, ubi pompa per Circum Maximum procedens minute describitur et cursus equorum, qui sequuntur, non multum ab eis cursibus abesse mihi videntur, quos hodie quoque in ludis equestribus, paucis mutatis, spectare possumus ¹⁵

13. Amores 1, 13, 17-18.

14. Amores 1, 13, 24.

15. Amores 3, 2.

Sed si ad elegantiora transire volumus et hominibus forsitan digniora, ad puellas animos convertamus atque litterarum studia.

«placita es simplicitate tua:
est quae Callimachi pre nostris rustica dicat
carmina».¹⁶

Doctae puellae apud Romanos fuerunt multae, sed apud nos multo plures, quae quamvis Callimachi carmina nesciant, tamen litterarum peritissimae sunt ac multas fabulas, praesertim romanicas, minute narrare sciunt. Nec simplicitas in nostris deest, quae Ovidio multum placuit. Sed cum jam de litteris sermo noster est, illud quoque notare possumus et debemus, quod jam apud antiquos verum fuit, scilicet poemata epica vim suam jam tunc temporis amisisse. Hodie poema epicum apud nos, quis nescit, omnino periit. Ovidius aperie fatetur, se elegis non heroibus natum esse:

«sum levis
non sum materia fortior ipsa mea».¹⁷

Nostris hoc ne fatendum quidem est: omnibus enim menifestum est se epica poemata scribere nec velle posse, sed breviora tantum carmina, quae «lyrica» nostri vocant. Multa agunt de amoribus et non nulli scriptores recentes in tantam talemque lasciviam atque libidinem lapsi sunt, ut Ovidium in hoc carminum genere superare videantur, quod profecto non est facile. Nam in elegia decima libri secundi, Ovidius hanc sibi formam vitae proponit:

«at mihi contingat Veneris languescere motu,
cum moriar, medium solvar et inter opus;
atque aliquis nostro lacrimans in funere dicat
'conveniens vitae mors fuit ista tuae' »¹⁸

quam vitae formam non pauci nostrorum adprobant atque sequi volunt.

Hactenus haec. Nunc ad ea, quae semper vera esse videantur, transeamus.

QUAE SEMPER VERA ESSE VIDENTUR

Ea tamen in scriptis Ovidianis maximi sunt momenti, quae ipse

16. Amores 2, 4, 20.

17. Amores 3, 1, 42.

18. Amores 2, 10, 35-38.

psychologico quodam intuitu subtilissime percepit, ita ut nos ea adhuc vera esse sciamus. Nam haec nobis quoque utilitati esse possunt, cum ea quae per duo millenia vera habita sunt, per alia duo vera fore confidimus. Ad vitam enim beatam agendam summi est momenti humanam naturam intellegere ad quod universum litterarum studium spectat. In hac re Ovidius magno nobis potest esse auxilio.

Invidiam, quae tot tantorumque malorum causa et origo prima est, in hominibus magnam inesse Ovidius rectissime asserit. Invidia enim est, quae saepe nos vicinis nostris infestissimos et inimicissimos facit, utrosque denique miserrimos. Invidia sine dubio cum in parvis tum in magnis maxima damna parit.

«si quam laudavi, miseros petis ungue capillos,
si culpo, crimen dissimulare putas.»¹⁹

Nihil rectius: tales enim sumus cum mulieres tum viri; alias inferiores nobis esse cupimus. Livor, invidiae simillimus, nos vivos semper persequitur, mortuos tandem relinquit. Eleganter hoc Ovidius dixit:

«pascitur in vivis Livor; post fata quiescit,
cum suus ex merito quemque tuetur honos:
ergo etiam cum me supremus adederit ignis,
vivam, parsque mei multa superstes erit».²⁰

Nec illa hominum proclivitas ad malum et vetitum Ovidium effugit:

«nitimur in vetitum semper cupimusque negata²¹

et paululum infra:

«juvat inconcessa voluptas».²²

Ovidius in puellis judicandis candidus et subtilis aestimator fuit. Visus et tactus ita in Ovidio coalescunt, ut corporum pulchritudo et mollities unum aliquid faciant, quae nullo modo distingui possunt.

19. Amores 2, 7, 7.

20. Amores 1, 15, 39.42.

21. Amores 3, 4, 17.

22. Amores 3, 4, 31.

«in toto nusquam corpore menda fuit:
 quos umeros, quales vidi tetigique lacertos.
 forma papillarum quam fuit apta premi:
 quam castigato planus sub pectore venter,
 quantum et quale latus: quam juvenale femur.²³

Nec illud desiderium, pulchritudinis arte augendae, Ovidium praeterit, quod vel in eis puellis insitum est, quae jam natura formosissimae sunt. Quin immo sunt quoque mulieres, quae cultum corporis ex industria neglegunt, ut cultu corporis neglecto formosiores videantur. Nihil enim magis allicit, quam quod sponte placet.

«... nulli tua forma secunda est»
 ... dignus corpore cultus est».²⁴

Romanae, ut nostrae, capillos quoque medicabant, ut pulchriores viderentur:

«quam se praebuerat ferro patienter et igni».²⁵

Et cum imprudentissima puella comam suam medicamine malo vitavit, Ovidius nos certiores facit, quomodo damnum suum reparaverit:

«nunc tibi captivos mittet Germania crines».²⁶

Quot nostrae crinibus alienis hodie laudantur! His, sive suis sive emptis,

«ponendis in mille modos ... capillis»²⁷

puellae nostrae cotidie multum temporis consumunt, ut aliae aliis formosiores videantur.

Genas quoque non semper genuinas mulieres nobis praebent: nam puella saepe

«... ingenuas picta rubore genas»²⁸

coram aliis est, quam artem nuperrime Helena Rubinstein apud nos quam maxime perfecit atque vulgavit.

23. Amores 1, 5, 18.

24. Amores 1, 8, 25.

25. Amores 1, 14, 45.

26. Amores 1, 14, 45.

27. Amores 2, 8, 1.

28. Amores 1, 14, 52.

Ex his quae supra breviter memoravimus illud desiderium pulchritudinis cum Ovidii temporibus cum nostris magnum fuisse et hodie esse satis constat, quod per saecula usque ad nos pervenit, hac tamen distinctione, quod apud Romanos tantum apud «bonos» id est «paucos» pingendi et medicandi mos in usu fuit, hodie vero apud omnes in usu est; cum omnes «boni» facti sumus.

Si ea quae supra memoravimus curiosa potius quam utilia esse nonnullis videantur, leguntur quoque apud Ovidium qaedam gravissima, quae semper prae oculis habenda sunt. Ea enim nobis, mutatis mutandis, die noctuque meditanda sunt, si gravitatem, si dignitatem, si libertatem retinere volumus, quae vita cariora sunt.

«curia pauperibus clausa est, dat census honores»²⁹

quod si hoc paululum hoc modo mutemus:

«curia peritis et bonis aperta est, dat virtus honores»

omnes profecto in hoc terrarum orbe in dies artiore beatorem vitam agere possemus.

Dixi.

B. S. Povsic
Latinarum litterarum Professor.
BOWLING GREEN, Ohio 4340, USA.

29. Amores 3, 8, 55.

A P E L L A A D F L A C C U M

Carmen in certamine poetico Hoeufftiano
Amstedolami a. MCMLXXII magna laude
ornatum.

Multis jucundum salibus te, Flacce, poetam
versiculis salvere jubet Judaeus Apella.
Vincula amicitiae nos nulla habuere sodales;
tu procul a patriis praecanus collibus urbem
erras, numinibus, quae extollis carmine, carus,
mox exacturus monumentum aeternius aere;
a patriis ego devectus quoque finibus, aegram
hac vitam dego magna peregrinus in urbe,
occulto, video, risu quandoque petitus
multorum, at non Vergilii, qui saepius ore
me fixo audivit sibi multa ignota docentem.

Nuper Lucili quam tu vestigia sectans
scripsisti satiram ut narrares quanta fuissent
quotque tibi, magnis egresso moenibus, oras
ut patrias peteres caris comitatus amicis
Brundisiique arces, commoto pectore legi.
Ante oculos puerum et nautae convicia, ranae
somnum avertentes, cerebrosus et ille saligno
fuste dolans lumbos nautae minimeque nocentis
mulae; tum scribae vesani praemia, pugnam
Sarmenti, flamas lambentes tecta culinae,
Vergiliumque pium timidumque adstare putavi
et me deprendi laxantem saepe cachinnis
ora. Camena tibi vati favisse videtur
ut nulli ante magis. Leviter res tangere gaudes.
Detentus nullis ambagibus, arripere oras
semper festinas rapidus summa aequora verrens
et scopulos vitans omnes. Haec Heliodorum
te docuisse rear? Valeat, valeantque magistri,
rhetores et longis qui tricis carmina vatum
docti pessum dant pendentes lance superba,
obscurisque suis tenebris fumoque tegentes
et quod luce nitet, qua sol non clarior ullus.

Est tamen hic vellem quod non dixisse poetam.
Visne tuis numeris vacuas corrumpere mentes,

dum quis persequitur te multa nocte Trivici
 stulte expectantem mendacis furta puellae?
 Annis provectus ridet; quid inepta pusilli
 auxilioque carens aetas agat? Hac ratione
 tu praceptor eris Romanae pubis et ausus
 ore sacerdotis te munera sumere falso?
 Virginibus puerisque ita numquam audita parabis!
 Nonnulli abscondent versus. Ego namque legenda
 non haec filiolo tradam. Quid? Cetera manca?
 At, si quaesierit cur scribere omiserit illum
 scriba locum cum membranae concrederet amplae,
 dixero et esse parum laudanda ibi, nonne requiret
 abditus integrum? Spernenda haec esse putabant
 multi fortassis, credent qui turpibus olim
 se posse ac probris praeclarum nomen apisci.

Lentus vergebam ad finem sermonis, in uno
 solum verbo haerens, num Gnatia rectius esset
 lymphis an Nymphis iratis structa, legentem
 cum scriptum rapuit nomen... *Judaeus Apella*.
 Postremum cursim legi quid carmen haberet.
 Scilicet in templi sacrato limine tura
 cives suadebant nullo igne liquescere. Risu
 omnibus hinc leni doctis commota labella
 atque oculi nictare oculis coepere ut eorum,
 qui sui jactabant peregrinis maxima, quisque
 haec unco naso tumidus suspenderet. Euge.
 Non ego risissem narrantem talia, non quod
 fabellis faciles sim aures praebere paratus,
 sed quia nil aequa humanos perrumpit amores
 ac si coneris, patrum quae sancta vetustas
 tradiderit, spuere haec et fastidire superbus.

Tu, qui naturam rerum posse omnia censes,
 nil vidisti umquam quod fines vinceret ejus,
 mente alia ut cursus iterandos esse putas
 praeteritos? Parcus cultor quisnam audeat altum
 incerta imperium trutina posuisse deorum?
 Quae sentis, quadrare putem cum carmine? Versus
 an dum conscribas, nugas nugaris inanes?
 Magna quidem res religio; si Dempseris illam,
 vincla hominum rumpes, corrumpes jura, bonique
 mores et leges labentur et ipsa juventus,
 quam fortem membris, laudandam ac moribus esse,
 doce poeta, cupis, praeceps ad turpia vertet
 sese, urbesque ruent. Orientur bella cruorque

venis manabit ruptis. Si lege tenere
imperioque velis populos finesque remotos,
aspera verba absint et iniqua superbia; sacra
temporis elapsi sit gloria, namque senectus
est urbis reverenda¹, ingentia facta diique,
fabellisque ejus sano tribuentur honores.

Quid dicas, si quis nutritos lacte lupino
cum risu esse neget geminos? Ni! certius umquam
tradere quae possit magna urbs, certissima fingat
illa sibi. Nulla haec fingenti ego proelia coram
pugnabo sapiens; non hostes, semper amicos
omnes optavi. Quid cetera? Numina censes
esse quidem, caelique alto securum agere aevum
nec quicquam curare homines. Cur denique vivant,
si vivunt, sic ignoras nec quaeris, at illos,
quae faciunt homines, eadem patrare putasne?
Est qui furetur; qui saevos excitet ignes
ut faber et moveat claudus pede forte cachinnos;
vincula conjugii haec perfringere perfida gaudet
virque ejus cautus deprendit furtar; tenebris
ex imis ortus per vim rapit ille puellam,
quam mater quaerens orbem lugensque pererrat.
Sunt quibus hos placeat colles defendere, at idem
turmis sunt passi Romana palatia quondam
vastari. Securum aevum sic degere credis
hos? Olim vates cecinisti, laude paratus
tollere semper eris: scimus melli esse poetis
talia nugarum. Contemno ego credulus ista
mente tenus, turbae minus obstans vana colenti,
et si compressus mihi risus et ilia rumpat.
Ista egisse deos non umquam credit Apella.

Ast aliis addam me, si quis vera requirit,
colloquiisque una conabor pandere verum.
Uno contentus, non ista ego numina adoro.
Nam Deus unus adest Judaeis, Flacce, deosque
barbaries habeat tam turpes tamque malignos,
quos homines dicas, indignos nomine tanto.
Is pater est nobis, credas, sanctissimus unus.
Curtos ridetis; patravit maxima curtis;
maxima patrabit pater hic, defendet et illos
nec sinet interitu pressos fractosque jacere.

1. Cfr. PLIN., *Ep.* 8, 24.

Is bonus, is sapiens; bonitas quin summa, malorum
integra, et immensi mundi moderator, habenis
ut regat ima suis terrarum et lucida caeli
in spatiis lento labentia sidera motu.
Judaeus credo haec; colitis quae falsa, relinquo.
Quin immo jam jam venturam credimus horam,
quam nos jamdudum vates docuere loquela
certa atque in sacris chartis posuere tegendam.
Numina falsa cadent; toto regnabit in orbe
verum unum; nam lux superis descendet ab oris.

Tum fugient tenebrae, queis mens humana laborat,
incipietque novus rerum ordo currere ... Magna
haec spes, magna fides! Haec tu ridebis, opinor,
qui gregis esse velis Epicuri, at candidus, ille,
cui te devinctum magis omnibus esse fateris,
a me defixis oculis audivit et alta
mente volutavit, spe motus saecla futura
hinc nova, progeniemque novam. Quid Pollio? Nomen!
Lumina erant alio, scito, conversa Maronis².
Haec cui viventi nostrum pernosse licebit
rerum tantarum miracula? Tempus ut opto
currat, si videam quod lumen spero oriturum!
Hac mihi spe nixo, quod iter cruciatibus hirtum
ad capulum cogit, dulce est; quin ultima rerum
linea sit multis horrens; gratissima Apellae,
ut qua tacturus sim aeterni limina mundi.
Haec credo, tibi nunc derisus, munere at idem
laetus quod, tecum velut una lintre profectum,
posteritas poterit lepido me noscere versu.

Prof. JOSEPHUS MORABITO
v. T. Cannizzaro, 206
MESSANAE (Messina) in Italia

2. Non defuerunt, ut omnibus est notum, qui putarent Vergilium in quarto Bucolicon carmine conscribendo Christi adventum quodammodo praedixisse idque Hebraeorum colloquiis eruditum fecisse. Hanc sententiam Joannes Pascoli in *Ultima linea secutus* est. Totam rem pertractavit Salvatore De Lorenzo in opere quod inscribitur *L'ipotesi messianica nella IV egloga di Vergilio* quodque editum est anno 1903 (altera editio facta est a. 1930). Hoc opus a Joanne Pascoli, qui iis temporibus in Messanensi studiorum Universitate Latinas litteras docebat, summopere laudatum est.

NOVA VERBA LATINA

Superioribus annis saepenumero disputationes haud parvi momenti ad nova verba fingenda earumque formam apte constituendam ex indole linguae latinae in pagellis *Palaestrae Latinae* prodierunt: eae in primis quae inter Josephum Mariam Mir, qui Romae nunc linguam latinam docet, et P. Caelestem Eichenseer, qui in Abbatia Ottiliensi, ad urbem Monacum, commoratur et in *Voce Latina* compendienda praecipuus est scriptor.

P. Caelestis, ut ex *Voce Latina* (n. 28: 8 (1972) 94-97) illustre fit, judicium protulit de *Novis verbis latinis* —cujus libri existimationem leges etiam in *Palaestra nostra Latina* 217 (1972) 35-36—: in eo autem judicio quasdam voces P. Caelestis in controversiam verterat. Nunc autem Jos. M. Mir admonitionibus respondet iis, quae sequuntur, commentationibus: quas nondum finitas esse scimus; et nos praeclaros scriptores libenter sequemur de novis verbis disputantes, eorumque scripta vulgabimus, quamquam fortasse et in *Voce Latina* edantur —cum alii et alii sint, ut credimus, qui commentarios nostros legant—.

[Moderator]

DE VOCE 'ALCOHOL'

Superiore mense julio Patri Caelesti Eichenserio scripseram me de vocabulis de quibus ille subdubitaverat, in VOCE LATINA ampliore tractatione acturum. Rem igitur nunc suscipio; neque tamen eo prosequar ordine quo dubia et emendationes P. Caelestis proponeat, sed ut voces se menti et studio nostro succurrent, legentibus deferam.

In iis autem vocibus *alcohol* in causa ponitur; de quo P. Caelestis scribit: «Id vero quod 'alcohol, -is' (p. 87) dicitur, arbitramur melius dici Latine 'alcohōlum, -i n.' Ceterum in ACTIS APOSTOLICAЕ SEDIS invenitur tantummodo 'potus alcoholicus' (AAS 49 [1957] 178.56 [1964] 212, 'potus alchoolicus' (AAS 57 [1965] 186)).»

Ne autem judicemur nos inconsulte agere, et ut certius sententiam nostram de hac voce ejusque scribendi ratione jure ac legitimi-

me proponere possimus, et —ut credimus— iterum confirmare, nominis originem, priores sensus et transitum in posteriore significationem —id est *spiritus vini*— paucis explicare conabimur.

1. *Nominis sensus*

Apud Arabes vox *al-kuhl* initio significavit metallum vel aptius *minerale*, id est 1. *antimonium*: sulphidum antimonii vel plumbi; 2. deinde etiam vocatur *pulvis subtilissimus antimonii*, quo mulieres, ut oculos nigro colore inficerent, utebantur; 3. corpus etiam comminutum et contritum in minutissimum pulverem: ex quo deinde valuit *tenuissimam rei partem*: *rei essentiam* quam conterendo, excoquendo ('sublimando'), exprimendo seu clarius destillando chemici assequebantur: ita dictum est *alcohol sulp (h) uris et ferrum alcoholisatum*; 4. denique a Theophrasto Paracelso «*essentia vini*» —quae jam pridem vocabatur *aqua vitae*, *aqua vitis*, *spiritus vini*— appellata est *alcohol vini*: qui deinceps simplicius dictus est *alcohol tantum*¹.

1. Quae de etymo et sensu vocis dicimus, in lexicis et encyclopaediis reperiuntur:

«*àlcole* (o *àlcool*) s. m. [dall'arabo *al-kuhl*...] Il termine arabo *al-kuhl* designò in origine un minerali (il solfuro d'antimonio o anche il solfuro di piombo), passando poi a indicare la polvere finissima, che se ne recava, usata, in Oriente, per la cosmesi degli occhi. Il termine, passato in Occidente, indicò, in alchimia, ogni corpo ridotto in polvere sottilissima (e in questo senso rimase fino al 700); più tardi fu, sempre in alchimia, usato per indicare la parte più sottile d'un corpo, la sua parte essenziale (così l'acido solforico fu chiamato *alcohol sulphuris*). Perciò Paracelso poteva dare ad a. l'arbitrario significato di spirito di vino, da lui ritenuto la quintessenza del vino stesso. Conosciuto e preparato in Occidente (con diversi nomi, quali *aqua vitae*, *aqua vitis*, *spiritus vini*, *spiritus vivus*) già durante il 12.^o sec.), veniva impiegato in origine in alchimia e poi in medicina, come consigliavano Arnaldo de Villanova nel suo trattato *De vinis* e Raimondo Lulio lodandolo come *consolatio ultima corporis humani...*» (*Dizionario enciclopedico italiano*, Istituto delle ENCICLOPEDIA ITALIANA, Roma 1955, t. I, s. v. *àlcole*).

... «Sia per *elisir* che per *alcool* si ebbe un passaggio dalla designazione di corpi solidi a quella di corpi liquidi. Il traspasso è però già avvenuto in Arabo perché anche in Arabo si trova riferito a preparati liquidi (cfr. LAMMENS, *Remarques sur les mots français dérivés de l'arabe*, Beyrouth, 1890, p. 104). Per *al-kuhl*, il senso primitivo è quello di «cosmetico per gli occhi, formato di finissima e quasi impalpabile polvere nera (solfuro di antimonio)». Questo senso ricorre anche nelle Penisola Iberica e nello sp. e port. antica *alcohol*, *alcofor* significa *antimonio*. L'uso di designare col nome di *alcool* lo spirito di vino (e di qui poi altri spiriti) si deve all'arbitrio del famoso Teofrasto Paracelso, al principio del sec. XVI...» (CARLO TAGLIAVINI, *Le origini delle lingue neolatine*³, Bologna, Pàtron, 1959, p. 264, in adn. 94).

«The generally accepted derivation of the word alcohol is from the Arabic *kuhl*, *koh'l* or *kohol*, meaning a «very fine powder». *Alkohol*, or the «fine powder,» referred usually to a finely powdered antimony sulfide used in cos-

2. *Etymon vocis*

Est vox arabica quae ex articulo *al* conflatur et ex vulgari *kohól* (in lingua classica *kuhl*), quod proprio *antimonium* significat, et refertur ad radicem *ákhł* ('niger') et ad verbum *kahala* ('nigro colore intingere').

Ex qua vocis origine efficimus merito scribendum esse *alcohol*, littera —*h*— interposita, ut Arabes, ex intimo vocabuli sensu, scribunt; et *álcohøl* enuntiandum esse secundum prosodiae latinae legem: «vocalis ante vocalem brevis est»: *détraho, prohibet*; in reliquis vero casibus acuendum esse *alcohólem*, ut ex lingua classica *kuhl* aut ex vulgari *kohól* inferimus. Errant igitur, ut nobis videtur, qui *alcóhólem* aut *alcó(h)ölum*¹ in lexicis proponunt.

metics to darken the eyelids. For a long time the word *alkohol* or *alcool* referred only to a fine powder. For example, *ferrum alcoholisatum* was finely powdered iron. Gradually the word came to mean «essence» and Paracelsus defined it in the 16th century as «the most subtle part of anything». It was in this sense that he wrote of *alcool vini*, the most subtle part of wine, but never *alcool* alone. Gradually *vini* was dropped, but it was not until the 19th century that the term *alcool* came to be used generally for wine spirits». (ENCYCLOPAEDIA BRITANNICA, Chicago 1962, v. I, s. v. *alkohol*, p. 540).

«ALCOHOL, ant., 'antimonio', 1278: 'polvo finísimo de antimonio empleado por las mujeres para ennegrecerse los ojos' h. 1490; 'cualquier esencia obtenida por trituración, sublimación o destilación', 1726; mod. espíritu de vino, 1765-83. Del ár. vg. *kohól* (clásico *kuhl*), antimonio o galena empleados de este modo por las mujeres orientales', de la misma raíz que *ákhāl* 'negro'. (J. COROMINAS, *Breve diccionario etimológico de la lengua castellana*² Madrid, Gredos, 1967, s. v.

Eadem fere scribit Joannes Corominas in ampliore opere *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, eaque in libro *Nova verba latina*, p. 87 memorantur.

«Alcohol: contráese vulgarmente en *alcol*, contra la ortografía, que pide se diga *alco-hol*: ...»

Es voz arábiga formada del artículo *al* y de *cohł*, que significa propiamente antimonio (o, según Prax, citado por Dozy, galena), lo mismo en castellano *alcohol*, y tiene por raíz el verbo *kahala*, alcoholarse. Esta acepción parece denominativa, pero el sentido radical, según Gesenius, es *cubrir, untar*. Sabida es la costumbre de los orientales de untarse los bordes de los párpados con unos polvos hechos de antimonio o de mineral de plomo y zinc, mezclados con agua.» Et in adnotatione: «Consúltense también el *Dioscórides de Laguna*, lib. V, 58, y especialmente Mahn, *Etymologisches Untersuchungen auf dem Gebiete der romanischen Sprachen*, LXXXIV; éste supone que fueron los químicos arábigo-españoles quienes por la finura de los polvos de antimonio trasladaron el vocablo a denotar el espíritu de vino». (RUFINO JOSÉ CUERVO, *Apuntaciones críticas sobre el lenguaje Bogotano* con frecuente referencia al de los países de Hispano-América, novena edición, Instituto Caro y Cuervo, Bogotá 1955, n. 125, p. 181).

Similia habentur in lexico *Diccionari Català-Valencià-Balear* (Palma de Mallorca 1968, t. I, s. v.) ab Alcover et Moll confecto: ubi tamen priores sensus voce *alcofoll*, *alcofol* exprimuntur, extremus autem nomine *alcohol*.

1. O. BADELLINO, *Dizionario italiano-latino*, ed. speciales, Torino 1964 et ed. normale: 1969: «alcool, acrior liquor, oris, m.; *alcoòlum*, i, n.»

Quod si superioribus aetatibus —ac vel nostra— non defuerunt qui *alcool* —dempto *h*— scriberent, id fecerunt etymon ignorantes aut ipsum neglegentes aut, ut plerumque fit, quia ratio scribendi incerta erat et vacillans apud quam plurimos.

3. Quid ergo: *alcohōlum* dicendum vel potius *alcohol*?

Restat tandem ut ad eam vocis formam veniamus investigandam quae a P. Caeleste aptior habetur et proponitur, id est *alcohōlum*, —i.

Qui haec legunt diligentissimum ac sagacissimum rerum et vocabulorum investigatorem Patrem Caelestem sane neverunt: et quadam fortasse admiratione afficientur cum opinionem tantum modo exprobat quin argumentis, quibus nitatur, significet. Nam in his vocum investigationibus et disputationibus non cuique e vulgo assentiendum est, sed qui sua auctoritate praestet, eo quod rem subtilius vestigavit, argumenta et causas de re luculenter exponit; minime vero ei qui alias tantum commemorat aut leviter, sine rei consideratione, alias sequitur scriptores. Argumenta igitur depromenda sunt, ut aliquujus sententiae suffragemur.

Ceterum, sive ex nominis etymo, sive ex iis scriptoribus quos in adnotationibus memoravimus, sive ex optimis medicis et scriptoribus, sive ex receptioribus lexicis scriptum plerumque invenimus *alcohol*, —is.

Etenim, si viro doctrinae criticae et etymologiarum studioso fidem facimus, Joanni dico Corominas (cfr. *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, t. I. s. v. *alcohol*, cfr. etiam, *Nova verba latina* in extrema pag. 87) ratio scribendi hispanica (*alcohol*) in linguam gallicam transiit (*alcohol*) [alterā vocis significatione idque saeculo XVI evenisse ait] atque in infimam chemicorum latinitatem: apud quos, ineunte saeculo XVI, voci tertiam significationem addidit Paracelsus; atque a. 1612 vox quartā adhibetur significatione. Inde ex novo sensu semantico iterum in linguam hispanicam venit et in linguas hodiernas forma vulgata seu internationali *alcohol* penetravit. Ergo apud chemicos, latine scribentes, vulgo *alcohol* dicebatur.

En pauca exempla:

- Jean Volckringer, *Lexicum latinum - gallicum ad pharmacopaeas redigendas*, a. 1958:—lexici scriptor est pharmacopola gallus nostrae aetatis—:

alcohol, is (m.) lat. : alcool gal.

- *Societas Latina: Deutsch-lateinisches Wörterverzeichnis*, 1 (1933) 57: —scriptor ipse *Societatis Latinae* moderator Eduardus v. Welz esse videtur—:

Alkohol germ. : *alcohol*, -is lat.

- Georg Lurz, *Die moderne Lateinbewegung*, *Societas Lat.*, 1952,

p. 2: —auctor lexicon confecit undeviginti annos postquam editum erat vocabularium supra laudatum (a. 1933) ac saepe de vocibus propositis in *Societate Latina disputatum*—:

Alkohol germ. : *alcohol, -is m. lat.*

Cardinalis A. Bacci, primum ex more suo circuitiones in *Lexico* proponit: «Praecipuum vini elementum; pars vini validior; potior vini sucus (*alcool del vino, spirito*)»; deinde addit: «Ut res clarius pateat, a nonnullis usurpantur etiam, hae, quae sequuntur, voces ex arabico vocabulo «*al-kohl*» deductae: *alcohol*, vel *alkohol* (*nomen*); *alcoholicus*, vel *alkoholicus*, *a, um* (*adjetivum*); *alcohol*, ut aiunt; *alcoholismus*, qui dicitur (*alcohol, alcoholico, alcoolismo*)».

- R. E. Lathan, *Revised medieval latin Word-List from Britis an Irish sorces*, Oxford University Press, London 1965, s.v.:

1. *alcohol* 14c., 1652, *alcofol* a 1250, kohl, antimony, stibium; + *alcol* / , fine powder 1652; + — *ismus*, pulverization 1652.

2. *alcohol (vini)*, *alcol*, alcohol, tartar 1652.

- Josephus Wagner, *Dictionarium rerum recentissimarum seu modernarum hungarico-latinum*, Budapest, Stephaneum, 1937, s.v.:

alkohol hung. : *spiritus, alcohol lat.*

- Boleslawa Zlotnickiego, *Lexicon medicum anglicum — russicum — gallicum — germanicum — latinum — polonum*, Warszawa, 1971:

alcohol angl. ... — alcool gal. — Alkohol germ. — alcohol is m. lat. — alkohol pol.

4. *Alia scriptorum exempla*

Evolvi praeterea alia medicorum et scriptorum opera ut, quid de hac voce dicerent, assequerer. Sed alii de nomine tacent (in quibus lexicographi Quicherat, Menge, Mariano, Luciano-Traina...); alii vero *spiritus*, *spiritus vini* exhibent sut verba his similis: *aqua ardens*, *aqua vitae*...: quorum pauca referam exempla:

- Johannis Broen, Med. Doct. *Animadversiones Medicae theoretico-practicae* in Henrici Regii *Praxin Medicam* quibus editio prior observationum... Theodori Craanen... emendatur et repurgatur, ex typographia Felicis Mosca 1721, pp. 38 et 70:

«Interim fiant extremarum partium frictiones cum spiritu vini calido». «Vel solo spiritu vini calente partes perfricari possunt».

- Michael Pexenfelder S. J., *Apparatus eruditionis tam rerum quam verborum per omnes artes et scientias*, t. I, Valentiae 1798, p. 214:

«*Destillator* ... prolicit igne ... ardentem aquam: dictam vinum, vinum adustum seu sublimatum, aut aquam vitae».

- L. Cognasso, *Il latino per l'uso moderno*², Torino SEI. 1936:
alcohol ital. : *spiritus us* (m.); *aqua vitalis* ovv. *ardens*.

- A. Blánquez Fraile, *Diccionario español-latino*, Barcelona, Sopeña, 1967:

Alcohol hisp. : Pars vini validior; potior vini sucus.

- Menge - Müller - Pertsch, *Langenscheidts Taschenwörterbuch*, Deutsch-Lateinisch, Berlin 1963:

Alkohol germ. : temetum n.

- A. Avenarius, *Schipperiana colloquia, Societas Lat.*, 5(1937)35:
«non est potator alcoolicarum potionum». «Frigidos pedes curato tepido balneo et lotionibus alcoolicis».

- *Alma Roma*, P. d. V., *Collectiones et collectores*, 28(1941)59:
«... in amphoris, urceolis, phialis, doliis vitreis, *essentia vini* plenis,
quam *alcool* nuncupant...» Idem scriptor P. d. V. *ibidem*, 29(1942)91:
«post haec enarrat quae alchymistae clarissimi fecerint, qui alchy-
miae praecepsis usi, metalla quomodo purgarentur, invenerunt, qui
vini *essentiam* (*alcool*), Raymundo Lullio faciente invenerunt, quo
ferme mortuis redditur vita (atque hinc et apud nos *Acquavite* =
aqua vitae vocatur)».

Conclusio

Alcoholum legi tantum modo apud Oresten Badellino (cfr. supra, in adn.) et in *Vita Latina* (m. sept. a. 1965, n. 25, p. 24), eoque uti-
tur P. Mangeot: cuius navitatem in litteris latinis, venam poëticam,
variarum rerum et historiae in primis studium et narrationes saepe
miratus sum eisque delectatus; intimam tamen de hac voce *alcohol*
pervestigationem fecisse prorsus ignoro.

Optaverim igitur ut doctor aliquis medicinam exercens aut hujus
artis investigator, alia proferret exempla; quodsi ex disputatione ma-
iores nostros *alcohōlum* adhibuisse comprobetur, libens mutabo sen-
tentiam.

DE VOCE 'LAGOENA'

In ea causa quam P. Caelestis ponit et iudicatione quam de nos-
tro libro in *Voce Latina* prodidit (cfr. n. 28: 8(1972)96) hanc dixit
sententiam: «Deinde 'lagona' ne scribatur per 'oe'diphthongum (p. 104,
187), cf. WALDE-HOFMANN, Lateinisches etymologisches Wörterbuch
[i.e. vocabularium etymologicum Latinum], vol. I, Heidelbergae
[Winter] 1938, p. 752; ERNOUT-MEILLET, Dictionnaire étymologique
de la langue latine (histoire des mots)⁴, Parisiis 1967, p. 338. LATIN.
12 (1964) 204: lagōna sive lagūna».

De qua voce —cum Patris Caelestis verba legisset— et ego per-
quirere diligenter animum induxi: nam memoria tenebam magistros
meos ac praecipuos orthographiae et latinitatis scriptores *lagoenam*
scripsisse nosque ita docuisse.

I. — *Quaenam verba latina per oe diphthongum scribenda sint:*

peropportuna sane quaestio ut in disputationem nostram penitus
nos inseramus omnemque dubitationem ex animo eripiamus.

In qua re exquirenda parum laboris erit nobis, cum ipse P. Caelestis peramplam ac doctissimam evulgarit dissertationem iisdem inscriptam verbis quae ego supra protuli: eaque typis impressa est in *Latinitate Vaticana* (12 (1964) 201-214). Quam dissertationem cum tot scriptorum veterum ac recentiorum, tot lexicographorum documentis copiosam —ut perdiligenſ ille investigator constantis et doctrina sua Benedictina assolet— legiſsem ac singulos locos adnotationibus impensa cura illustratos perspexiſsem, facere non potui quin maximam tanto inquisitori fidem facerem. Nolui tamen in re deficere; et ego ipſe aliquantulum de voce *lagoena* inquirere volui, quod non omnem ex animo dubitationem ille abstulerit.

Id autem perspicue assecutus sum: Patrem Caelestem omnibus numeris investigationem cumulate absolvisse; qui tamen in *lagoena* argumentis documentisque aliquantenus deficere mihi visus est.

II. *Quomodo ergo lagoenam scribamus oportet*

Id quidem monumentorum et scriptorum auctoritate definiendum est: hos igitur sereno animo adeamus.

A. — *Veteres inscriptiones lagonam et lagunam* referre non infi-
tiar; quanti autem momenti sint quantoque in honore habitae
inscriptiones in Romanorum historia ac vel in vocabulis dignoscen-
dis et describendis plane scimus: neque tamen unus probatae ortho-
graphiae fons censeri debent.

B. — *Scriptores*, qui in vocabulorum origine et etymo detegendo
et declarando operam suam collocarunt, in primis audiamus:

1. A. ERNOUT, *Aspects du vocabulaire latin*, Paris [Klincksieck] 1954, p. 66: cuius magna est auctoritas in lexico latino definiendo et explicando: is autem, in libro supra memorato de voce *lagoena* sub indice *Changement de déclinaison, de genre...*, haec exponit: «*Lagona, laguna* f. «cruche», λάγυνος c.» Deinde, in pagina 74, haec de Plauto: «Chez Plaute, en dehors des emprunts que nous avons signalés précédemment, on trouve encore...» —et consequuntur vocabula, ad ducenta et amplius, in quibus recensetur *lagoena*. Tandem (pp. 81-83), voces enumerat quae apud Petronium reperiuntur: «... voici les mots qu'on trouve dans le Satiricon...» —in quibus, media pagina 82, *lagoena* quoque legitur.

— Ergo *lagona*, *laguna* inducitur ex Graecis in linguam latinam —haec tantum—: quae apud Plautum et Petronium scripta legitur *lagoena*.

2. ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine*⁴, Paris 1960, s. v.:

«*lagōna* (*lagūna*, *lagoena*, —*gēna*, —*gaena*, —*cūna*), ae f. : cruche de terre à large ventre... Forme mal fixée; *lagoena* est sans doute un

contrépel de *lagūna*, comme *goerus* de *gyrus* dû à la difficulté de rendre l'upsilon... Les inscriptions ont *lagōna* et *lagūna*.

— Ratio scribendi dubia est et anceps; neque tamen *lagoema* reicitur, inscriptionum monumenta *lagonam* et *lagunam* potius referunt.

3. M. LEUMANN, *Lateinische Grammatik, Lateinisches Laut- und Formenlehre*, München 1963, p. 79: «MAURENBRECHER Par. 171 bezweifelte schon eine Zwischenstufe mit Aussprache *oe* zwischen *oi* und *ü*; s. ebende 172³ über vermutlich pseudohistorisch oder umgekehrt geschriebenes *lagoena* statt *lagūna* gr. λάγυνος Antamoenides gr. Ἀνταμοειδῆς, beides in den Handsschriften des Plautus (aber kaum von Plautus selbst herrührend)».

— Dubitavit ergo M. scriptor num illa mutatio et enuntiatio *oe* = *u*: *lagoena* pro *laguna* reapse fuerit; attamen certo in codicibus Plauti *lagoena* scripta est —quamquam haec scriptio fortasse [kaum: 'vix, difficulter'] ab ipso Plauto non dimanat.

4. WALDE-HOFMANN, *Lateinisches etymologisches Wörterbuch*, I, Heidelberg 1938:

«*lagōna* u. *lagūna* (nur diese beide Formen inschr. [Knoche Hermes, 350¹], schlectere Schreib. —ē—, —ue—, —ui—, —oe— s. unten), *ae* f. ...»

— Unus scriptorum locus —quos vidi— in quo aperte non recta seu mendose habetur scriptio *lagoena*. In reliquis —quae apud ipsos scriptores W.-Hoffmann sequuntur— cum L. Leumann et Ernout-Meillet convenire videntur: vox ex Graecis deducitur aut cum iis conectitur, alia exempla afferuntur diphthongi *oe* qua latine graecum *u* exprimitur: Walde ita opinatur; at in manuscriptis Plauti *lagoena* invenitur.

5. GAFFIOT, *Dictionnaire illustré latin français*, Paris [Hachette] 1934, s. v.:

«*lagoena* ou *lagona*, ae f. ... LAGOENA Hor. Sat. 2,8,41; PLIN. 16, 128. — formes vulg. *laguna*, *lagena*, *laguena*, *laguina*.»

6. H. MENGE, *Langenscheidts Taschenwörterbuch*, Berlin 1910:

«*lagēna*, ae f = *lagoena*. — *lagoena*, ae f Flasche, Weinkrug».

7. MENGE-MÜLLER-PERTSCH, *Langenscheidts Taschenw.³*, Lat.—D., Berlin 1963:

«*lagēna*, ae f = *lagōna*.
lagoena = *lagōna*.
Lagōna u. —*gūna*, ae Flasche..., Krug».

8. H. MENGE, *Langenscheidts Enzyklopädisches Wörterbuch, Lat.—D.* Berlin [1963]:

«+ *lagēna*, ae f = *lagoena*.
lagoena u. *lagōna*, ae f. ...»

9. F. CALONGHI, *Dizionario latino-italiano*³, Torino [Rosenberg] 1969 — 3.^a edizione interamente rifusa ad aggiornata del Dizionario Georges-Calonghi, 10 tirature—:

«*lagēna*, ae f. V. *lagoena*.
Lagoena (*lagōna*, non *lagēna*) ae, f. ... *laguena*, *laguina*, *lagūna* e *lagynos*, forme volg. de *lagoena*.

10. H. GOELZER, *Dictionnaire latin française*, Paris [Garnier] 1966:

«*lagena*, faute d'orth. p. *lagoena*.
lagoena, ae f. Vase à col étroit et à corps bombé...
lagona, ae f. Voy. *LAGENA*.
laguna, ae f. comme *LAGENA*.

11. CARLTON T. LEWIS, *A Latin Dictionary for Schools*, Oxford [Clarendon] 1964:

«*Lagoena* and *lagōna* (not *lagēna*, ae, f. ... *lagōna*, see *lagoena*).»

12. P. D. SIMPSON, *Cassell's New Latin-English Dictionary*⁵, London [Casell] 1968:

«*Lagoena* (*lagōna*) —ae, f.»

—Lexica, quorum locos memoravimus, praestantissima sunt: eorum autem scriptores non tantum in lexicis componendis maxime eminent, sed etiam in conquirendis verborum etymis accuratissimam adhibuerunt diligentiam. Argumenta quae contra afferuntur aut animum non prorsus inducunt fidemque non faciunt plenam, aut saltem contra auctoritatem editionum criticarum repugnare videntur —quarum praestantiam nemo facile infitiabitur—.

C. — *Editiones criticae*. — Apud omnes constat quantis iisque iteratis curis opera veterum scriptorum typis nunc exprimantur. Editionibus criticis textus ille referri intenditur qui proprius ad primigenios magisque auctoratos codices accedat.

Exempla ponimus in quibus *lagoena* legitur:

1. PLIN. *Hist. Nat.*, 16,31,56(128): ed. J. ANDRÉ, Paris [Les B. Lettres] 1962:

«... e quibus montani... spectabiles *lagoenas*... nectunt».

ID., 28,11,48(174): ad. A. ERNOUT, Paris [ibid.] 1962:

«vapore per *lagoenae* collum subeunte».

2. PETRON., *Satyr.*, 22: ed. ERNOUT, *Le Satiricon*⁴, Paris [Les B. L.] 1958:
- «duo Syri expilaturi *lagoenam* triclinium instrauerunt».
3. COLUM., 10,387: ed. E. De Saint-Denis, Paris [Les B. L.] 1969:
- «aut habilem lymphis hamulam Bacchove *lagoenam*».
4. HOR. *Sat.*, 2,8,41: ed. E. C. WICKHAN-CARROD, Oxonii 1959; ed. VILLENEUVE, Paris [Les B. L.] 1961; ed. PLESSIS-LEJAY, Paris [Hachette] 1961:
- «convivae lecti nihilum nocuere *lagoenis*».
5. Q. CIC. *ad fam.*, 16,26,10: ed. T. BERTOTTI, Romae [Arnoldi Mondadori] 1967:
- «sicut olim matrem nostram facere memini, quae *lagonas* etiam inanis opsignabat».
6. MART., 14,116: ed. IZAAC, Paris [Les B. L.] 1961:
- «*Lagona vinaria*».
- ID., 7,6,5: ed. IZAAC, ibid., 1961:
- «Nulla catenatis pila est praecicta *lagonis*».
- ID., 4,46,9: ed. LINDSAY, Oxonii [Clarendon]:
- «et nigri Syra defruti *lagona*».
7. QUINT., 6,3,10: ed. Teubneriana 1959; ed. Loeb Classical, 1960:
- «nisi lagona defecisset, occidissemus te».

III. — *Quae repugnantia videntur*

Quibus expositis, iterum ad Patrem Caelestem redeamus: ipse enim in memorato commentariolo in *Latinitate* (12(1964)201-214) vulgato scribit: «sed praeter non pauca peregrina nomina alia et illa aliqua vocabula Latina, quae supra memoravimus, in lingua Latina *œ* diphongus non invenitur. Itaque exempli gratia falso scribitur et enuntiatur: coecus, coelum, coelebs, coelibatus, coena, coenum, foecundus, foenum, foenus, foenerator, foetus (foetosus), hoedus, lagoena, moereo, moeror, moestia, moestus, obscoenus, poenitere, poenitentia»; et ima pagina in adn. 22 haec adjungit: cf. *Latinit.* 1(1953)226. J. Jiménez Delgado, *De orthographia Latina*², Barcinone-Salmanticae 1958, p. 67 sqq.»

Nunc autem, quod ad locum *Latinitatis* spectat, quem P. C. morat, nihil ibi de *lagona*, nam haec tantum scripta leges: «Secundum emendatiorem modum, ut est notum omnibus, scribitur caelum (non coelum), cena (non coena), condicio (non conditio), genetrix (non genitrix), intellegentia, intelligere (non intelligentia, intelligere), neglegere (non negligere), paene (non poene), Vergilius (non Virgilius), eundem, eandem eorundem, quendam, quandam, quorundam». — Neque tamen *lagona* memoratur.

Deinde, in eo opusculo quod *de orthographia latina* P. Jiménez Delgado edidit, illa vocabula —quae «falso latine per *oe* scribi» asserit P. Caelestis— omnia quidem recensentur (desunt tantum derivata *faenerator* (ex *faenero*) et *maestitia* (ex *maestus*); at in *lagoena* errat: scribit enim P. Jiménez: «*Lagoena*, *lagona* [*botella*], *non lagena*»¹.

Ergo P. Jiménez admittit *lagoenam*, *lagonam*, non probat *lagenam*.

IV. *Concludamus*

Quae cum ita sint, aperte profitemur:

1. Monumenta epigraphica, quac exstant, saepius *lagonam* inscriptam referunt;
2. Lexicographi nostrae aetatis maxime conspicui aut in *lagonam* inclinant aut saepe ancipites haerent in *lagona* —[*laguna*] —*lagoena* scribenda; hos —i.e. qui *lagoenam* scribunt— quamplurima lexica etymologica et scholastica insequuntur;
3. Editiones criticae utramque exhibent lectionem: *lagonam* — *lagoenam*.

— In extremo: qui superiorem *Vocis Latinae libellum* (n. 28, p. 96) legerunt et hanc confirmationem nostram secuti sunt, ipsi de quaestione judices sint.

Forsitan aliquis ex adolescentibus, qui nostra aetate praecepta nimium obstringentia libere respuunt, ad Patrem Caelestem modeste (!) accedere audeat eumque rogitet ne admodum severus fiat Aristarchus neve tanta praedicet praetoria potestate: «ne scribatur *lagoe-na*», cum tot iisque gravissimi latinitatis duces in hac *improbata* constiterint via, et alii haud pauci in re definienda quasi vacillare videantur.

Ita sane: nimis nimium —credimus, idque nos cani docuerunt anni— grammaticorum constringimur legibus praeceptisque; maximam quidem insectemur —ut ajunt— majestatem et integritatem sermonis nostri, sed nisi plane alii erraverint, pleniorum scientiam teneamus reconditam nobisque reservemus, exempla secuti Ciceronis

1. Cfr. J. LLOBERA, S. J., *Grammatica classicae latinitatis*, Barcinone [Soperna], 1920, p. 201: «*lagoena*, potius quam *lagona* (*lagena*)».

magistri, qui, ut ipse refert, in multis «usum loquendi populo concesserat, scientiam sibi reservaverat» (cfr. *Orat.*, 48,160).

DE VOCE «BENZINA»

Addubitaveram ego de genere vocis *benzinae* cum primum de re in *Palaestrae Latina* anno 1959 (n. 166: p. 87) egi: vel potius, scriptorum sententiis expositis, vocem genere suo ancipitem adhiberi posse censui, et ideo scriptoribus tribuendam esse generis libertatem. Quae eadem fere in *Novis verbis latinis* descripta sunt: ubi, pagina 162, adn. 35, ad extremum, haec —si tibi ad manus liber est— leges: «Cui autem generi adscribenda sit vox, non liquet, ut ex superioribus patet, et ex iis esse videtur de quibus in disputatione *Viget latinitas* (*Helmantica*, 5(1954)389) egi; scriptoribus igitur danda est generis libertas; suadenda tamen *benzina*».

Nunc autem, Pater Caelestis in judicio quod fert de libro (cfr. *Vox Latina*, n. 28: 8(1972)95) asserit «parum sibi probari *benzina*» et de sua sententia «*Latinus dicendum esse benzинum*, —i n.»

Quibus adductus argumentis se amplius tutari rem latinam («*Latinus dicendum esse*») P. Caelestis arbitretur si *benzinum* dicat potius quam *benzinam*, prorsus ignoro.

Legentibus tamen, ut et ipsi de re judicium ferre possint, haec libens refero: alhibent

| | <i>benzinam</i> | | <i>benzinum</i> |
|---|-----------------|--|-----------------|
| <i>Candidatus Latinus</i> | a. 1929 | <i>Societas Latina</i> : (Warum nicht <i>benzinum</i> ? a. 1932 | |
| <i>Societas Latina</i> | a. 1933 | | |
| <i>Juventus</i> (Hungarica) | a. 1939 | LURZ, <i>Societas Lat.</i> a. 1952 | |
| CAPELLANUS-LAMER, <i>Sprechen Sie Lateinisch?</i> ¹¹ | a. 1933 | H. JACOBELLI, <i>Novi flores</i> a. 1914 | |
| MENGE-MÜLLER-PERTSCH, <i>Langenscheidts Tachen. wörterbuch</i> | a. 1963 | <i>Juventus</i> a. 1941 | |
| WAGNER, <i>Dictionarium... hungarico-latinum</i> | a. 1937 | C. MARIANO, <i>Dizionario ital.-latino</i> ¹⁷ a. 1963 | |
| | | Card. A. BACCI, <i>Lexicon</i> ⁴ , habet: <i>benzinum</i> et <i>benzinium</i> a. 1963 | |

Benzinam et *benzinum* proponunt: TEMPINI, *Manuale di composizione latina*², 1937, p. 67; Id., *Manuale di conversazione latina*³, 1941, p. 170; L. COGNASSO, *Il latino per l'uso moderno*², 1936, s. v.

Inquirendum igitur utrum sit necne ratio vere probabilis qua ex «indole linguae latinae» *benzinum* dicamus oportet potius quam

benzinam: argumenta, si quae sint, ego reperire nondum valui. Etenim, et *Laterculos vocum latinarum* —voces latinas quas et a fronte et a tergo ordinandas curavit O. Gradenwitz (Leipzig 1904— diligenter inspexi, atque schedas quamplurimas evolvi, quas confecera cum commentariolum illud digessi: «Qua ratione in latinum convertendae sunt voces technicae et quae ad disciplinarum studia spectant» (cfr. Acta Congressus Romani, a. 1966 habiti, pp. 318-346): ex quibus aliquam lucis scintillulam me assequi posse credebam; at res adhuc in obscuero est.

Neque illa, credo, inferri potest ratio quod apud Germanos —et alios fortasse— vox neutro genere enuntietur; cum contra, plures sunt, ut opinor, linguae romanicae in quibus genus femininum adhibetur.

Duplici autem genere aliquam vocem in lingua latina efferri, minime absonum est, cum non desint alia exempla, eaque optimae latinitatis, in quibus genus anceps est vel duplex.

In causa vel ipse Tullius adest nobis: qui cum in dialogo *De legibus* Arpinum, patriam suam, laudasset, ac loci amoenitate et salubritate —praesertim in ea insula quae a Fibreno flumine efficitur— magnopere se delectari dixisset, Quintus frater «cave enim —inquit— putas Attici nostri *Amalthio* platanisque illis quicquam esse praecarius» (2,2,7). Idem autem Cicero ad Atticum (2,2,11) scribit: «*Amalthea* mea te exspectat et indiget tui». Habemus ergo *Amaltheam* et *Amalthium* seu *Amaltheum*.

Alia quoque praesto sunt exempla:

| | | |
|-----------|---|---------------------------|
| menda | — | mendum |
| vespera | — | vesper |
| gausapa | — | gausapum |
| armoracea | — | gausape, is armoracium |

quibus addere potes:

| | | |
|-----------|---|-----------|
| baculus | — | baculum |
| clipeus | — | clipeum |
| eventus | — | eventum |
| suggestus | — | suggestum |

Nomina quoque urbium saepe genere variant: quod admodum perspicue lexicis ab A. Sleumer (*Kirchenlateinisches Wörterbuch*, Limburg) et a Graese-Benedict-Plechl (*Orbis Latinus*, Braunschweig 1971) digestis satis abunde comprobatur.

Ac vel ipse P. Caelestis scitissimo illo libro *De lacu Brigantino* (Constantiae 1965, in appendice) nomine interdum et genus variat:

- Belgica* — Belgium (p. 110),
- Brigantium* (Brigantia - Brabantia) (p. 110),
- Scaphusa* — Scafusa — Scaphusium (p. 112).

Ego vero argutissimam illam disputationem Ciceronis cum Attico memoria teneo qua ille se purgat quod epistula (6,9,1) scripserit: «in *Piraea* cum exissem», cum omnes scriptores romani —Terentius in primis— *Piraeum* potius in accusativo casu dixerint, additque: «Nostrum quidem si est peccatum, in eo est quod non ut de oppido locutus sum sed ut de loco...» Quibus verbis expostulat ut sibi detur facultas eligendi inter *Piraea* et *Piraeum*, itemque portum illum ut locum aut oppidum habendi (cfr. *ad Att.* 7,3,10).

At cum haec grammaticalia tanti sint ponderis apud quosdam eruditos ego ipse vobis legentibus et humanissimo Patri Caelesti aperte dico: «Sed quoniam grammaticus es, si hoc mihi ζήτημα persolveris, magna me molestia liberaris» (*ad Att.* 7,3,11).

QUAE AD ORIGINEM ET ETYMOLOGIAM VOCIS BENZINAE SPECTANT

Haec inveniuntur in lexicis:

Grand LAROUSSE Encyclopédique, t. II, s. v., pp. 66-67:

«BENZINE ... n. f. (de *benjoin*). Nom primitivement donné au benzène...».

«BENZENE ... n. m. (de *benjoin*). Nom scientifique d'un carbure d'hydrogène...».

— ENCYCL. Faraday, en 1825, découvrit le benzène dans les produits de distillation des huiles. Mitscherlich l'obtint en 1833 en chauffant l'acide benzoïque sur la chaux, et lui donna le nom de *benzine*. Mansfield et Hofmann l'isolèrent des goudrons de bouille en 1848, et Berthelot réalisa sa synthèse à partir de l'acétylène en 1866...»

ENCYCLOPAEDIA BRITANNICA, Chicago 1963, vol. 3, s. v. p. 491:

«BENZENE, a hydrocarbon, was discovered by Michael Faraday in 1825 when he investigated the nature of an oil found in the receptacles of the compressed illuminating gas made from whale oil. Because of the high ratio carbon to hydrogen, Faraday called the hydrocarbon «bicarburet of hydrogen». E. M. Péligot and E. Mitscherlich prepared it in 1833 and 1834, respectively, by distilling benzoic acid in the presence of lime. Mitscherlich named it benzine, but J. von Liebig suggested the change to benzol. The form «benzene» was used by A. W. Hofmann, who in 1845 demonstrated the presence of the hydrocarbon in coal tar. «Benzene» is the term used by U. S. and English chemists, while «benzol» (U. S.) and «benzole» (Grast Britain) are the common designations for the commercial

products which contain the hydrocarbon benzene as the chief constituent...»

DIZIONARIO ENCICLOPEDICO ITALIANO, Roma 1955, t. II, s. v., pp. 209-212:

«*Benzina* s. f. [del tema di *benzoino*, prob. attrav. il ted. *Benzin*]. — 1. Miscuglio di diversi idrocarburi liquidi...»

benzène s. m. [comp. di *benz-* e suff. *-ène*]. — Idrocarburo aromatico, C_6H_6 , detto anche *benzolo*...

benzoino (ant. *bengiù*, *bengioino*, *belgioino*, *belgiuino*, *belzoino*, *belzuino*) s. m. [alteraz. dell'arabo *lubān Giāvi* «incenso di Giava», nome con cui fu indicato del viaggiatore Ibn Battūta (sec. 14.^o). 1. Nome di una pianta delle Stiracacee (*Styraz benzoin*) che produce un balsamo omonimo...»

J. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, Madrid, Gredos, 1954 t. I, s. v.:

«*Bencina*, del latín moderno botánico *benzoe*, nombre dado por los botánicos al *benjuí*, del que se extrae por sublimación el ácido benzoico».

J. COROMINAS, *Breve Diccionario etimológico de la lengua cast.²*, Madrid, Gredos, 1967, s. v. pp. 92-93:

Bencina, V. *benjuí*.

Benjuí 'bálsamo que se obtiene por incisión de la corteza de un árbol de los países malayos', 1438, del ár. *lubēn yāwī* 'incienco de Samatra', isla donde se producía el más puro, y a la que los árabes daban el nombre de Java (*yāwa*); el vocablo llegó por conducto del catalán (1430), donde con artículo es *lo benjuí*; al bajo latín se adaptó en la forma *benzoe*, de donde *benzoico*, ácido extraído del benjuí, y de ahí *bencina*, 1884».

— Haec igitur ex lexicorum locis certo colligi licet:

1. Vox *benzina* conjungitur cum *benjoin* (gall.), *benzoino* (ital.), *benjuí* (hisp. et catal.).

2. Huic arbori et balsamo a botanicis nostrae aetatis, aut superioris, impositum est nomen latinum —latinitatis botanicae— *benzoe*.

3. *Benzina* autem a *benzoe* proxime deducitur.

4. Michaël Faraday, a. 1825, in oleis exprimendis seu destillandis hydrocarburum i.e. *benzenium* repperit —quod a. 1833 E. Mitscherlich, chemicus germanicus, ex acido benzoico etiam assecutus est—: eique nomen vulgare *Benzin* imposuit.

5. *Benzenium* (*benzène* gall.) a *benzina* (*benzine* gall.) distinguitur: quamquam alterum nomen a primo ducetur.

Nunc vero:

6. Argumentum potens ac sufficiens non est —ut latine genus neutrum rei imponamus— eo quod nomen a chemico germano inventum sit, et in ea lingua neutro genere —*das Benzin*— efferatur. Nam nomina aliarum civitatum —ut saepe in vocibus graecis factum esse scimus— cum in linguam latinam transeunt, ad hujus linguae indolem aptantur et interdum alio designantur genere.

7. Neque illud argumentum afferri potest, quod *benzina* liquidum sit, et alia haud pauca liquida genere neutro designentur. Etenim, in genere significando exceptiones non desunt ab iis normis quas communiores grammatici dicunt: Aquila et Jovita sunt nomina sanctorum, generis masculini; item Sequāna et Matrōna flumina, cum ventis etesiis (*etesiae*, —*arum*) sunt masculina; Glycerium autem et Eustochium sunt nomina mulierum: quibus alia addi possunt exempla. Ad superiora iterum revertamur et in vulgatissimis liquidis *aquam*, *vinum*, *oleum* sumamus eorumque generis diversitatem in nostris linguis inspiciamus:

| | | | | | | | | | | | | | |
|--------|-----------|--------------|-----------|--------------|-----------|--------------|-----------|---------------|-----------|--------------|-----------|---------------|-----------|
| ὕδωρ | <i>n.</i> | <i>aqua</i> | <i>f.</i> | <i>eau</i> | <i>f.</i> | <i>acqua</i> | <i>f.</i> | <i>agua</i> | <i>f.</i> | <i>aigua</i> | <i>f.</i> | <i>Wasser</i> | <i>n.</i> |
| οἶνος | <i>m.</i> | <i>vinum</i> | <i>n.</i> | <i>vin</i> | <i>m.</i> | <i>vino</i> | <i>m.</i> | <i>vino</i> | <i>m.</i> | <i>vi</i> | <i>m.</i> | <i>Wein</i> | <i>m.</i> |
| ἔλαιον | <i>n.</i> | <i>oleum</i> | <i>n.</i> | <i>huile</i> | <i>f.</i> | <i>olio</i> | <i>m.</i> | <i>aceite</i> | <i>m.</i> | <i>oli</i> | <i>m.</i> | <i>Ol</i> | <i>n.</i> |

óleo *m.*

8. Ergo: in genere latino constituendo —eo quod in nostris linguis discrimen sit in rei notione percipienda et in genere conferendo—, aut conspicuorum scriptorum auctoritatem sequamur oportet, aut ad vulgus accedamus —id est, vocem recipiamus quae magis vulgata et trita facta est et a quam plurimis adhibetur—; —ut ego censui et, ex disputatione exorta, in eadem persto sententia—, ne quis querelam inducat quod cives sui eorumque interpretandi generis ratio neglegatur, libertatem aliorum tueamur eique consulentes facultatem generis feminini aut neutrius omnibus tribuamus liberter.

Ad extremum: ne in minutis rebus nimium consistamus neve de iis queritemur quae linguam latinam non commaculant, cum tot restent nomina investiganda et in thesaurum linguae latinae inferenda.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor
Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

DE SIMULATIS SOMNIIS APUD GRAFCOS ATQUE ROMANOS EPICOS POETAS*

Hoc commentariolo de simulati somnii artificio, quo usi sunt in carminibus suis et Graeci et Romani epicci poetae, mihi est in animo tractare, eaque subinde adnotare quae consideranda videntur. Mihi enim somnia legenti, quae apud Graecos atque Romanos epicos descripta inveniuntur, ea visa sunt praecipue perscrutanda, quae interdum se vidisse simulant ii quos in carmina inducunt poetae. Quorum somniorum in studio, haec praesertim consideratione digna existimo, primum cur somniorum visa simulentur; deinde num qui simulant ea narrent iisque suis faveant studiis atque consiliis; num denique hujus modi somnia describentes carminis rem ad exitum adducant poetae. Reliqua vero de arte ac ratione, qua usi sunt Romanii epicci poetae in somniis usurpandis, alio meo opere significare conatus sum¹.

HOM., §, 490-502.

Ementitis somniis primus usus esse Homerus mihi videtur, cum Ulixem somnum se vidisse simulantem inducit in decimi quarti *Odysseae* libri vv. 490-502. Quod somnum etsi Crespius² jampridem diligentes indicaverat. Wetzelius tamen in laudatissima dissertatione sua³ parum attente neglexit.

Ibi Ulices, qui mendicum se esse simulat, narrat, ut Eumaei fidem experiatur vestemque sibi a subulco impetret, quomodo Trojani belli temporibus versutissimus Ithacensium dux sibi laenam paraverit. Se dicit juvenem ad Trojae moenia quodam tempore subisse, ut insidias hostibus instrueret una cum Ulike et Menelao et aliis claris viris; noctis autem spatio ob intolerabile frigus se coactum esse Ulixem cubito pungere eumque orare ut, aliquid callide machinatur⁴, sibi laenam pararet. Tum Ulixem comitibus dixisse se somnium quoddam, a deis missum, per quietem vidisse⁵, atque magna

* Excerpta est lucubratio e commentariis quibus index ANNALI del Liceo Clas. «G. Garibaldi» di Palermo, n. 34 [1966-1967].

1. A. GRILLONE, *Il sogno nell'epica latina. Tecnica e poesia*, Palermo, 1967.

2. Cf. A. CRESPI, *Le visioni nei poemetti di Omero e Virgilio*, «Riv. st. ant.», X (1905-6), pp. 537-39.

3. J. G. WETZEL, *Quomodo poetae epicci et Graeci et Romani somnia descripsent*, diss. Berol., 1931.

4. §, 490-91.

5. *Ibid.*, 495.

instare pericula admonuisse⁶. Quo callido dolo Laërtae filium, cum ne narrasset quidem somnium, effecisse ut unus e comitibus, nomine Thoas, laena deposita, ad Agamemnonem se conferret⁷.

Si igitur Homeri locum attente perpendimus, hoc primum aperte patet, somnium ab eo qui viderat nullo modo narrari et hoc ipso mendicum paucis uti. Mendici autem nihil aliud interesse videmus, nisi ostendere, ut subulci fidem experiatur, se juvenem magnae Ulixii fuisse sollicitudine. Eumaeus enim, vera quidem esse fisus quae narrantur, ἐπὶ... χλαῖναν βάλεν αὐτῷ / πυκνὴν καὶ μεγάλην⁸.

Facile deinde conspicere possumus et Ulixem et mendicum simulantates a poeta induci, somnium alterum, alterum somnii memoriam; utrumque vero — sic dicere liceat, quamvis eundem unum esse virum omnibus constet — cum ne narraverit quidem somnium, id quod vult simili artificio consequi.

Praetereundum denique non est poetam non somnio, quod ad propellendam fabulae rem nullius est momenti, sed brevi somnii mentione legentibus indicare voluisse quantam in dominum benevolentiam servaret Eumaeus: quod vv. 526-27 plane confirmare videntur. Ex quo deducere possumus hoc somnio Homerum intendisse non ut fabulae argumentum expediret, sed ut animum sensusque intimos et Ulixis et Eumaei detegeret.

APOLL. RHOD. III, 690-92

Proximum somnium, quod ad argumentum spectat nostrum, in Apollonii Rhodii *Argonauticon* III vv. 690-92 scriptum invenimus. Hoc somnii ficti exemplum primum apud epicos poetas Wetzelius esse censet⁹. Quin etiam hoc artificium non solum Homerum, sed etiam cyclicos qui dicuntur poetas adhibuisse ille negat, exemplisque comprobare conatur Apollonius «hanc miram hujus artificii variationem in fabula scaenica aetatis suae usurpatam vidiisse et in carmen suum transtulisse»¹⁰. Mihi contra in animo est ostendere quomodo Apollonius, hoc somnium usurpans, Homeri vestigia sequi non sit aspernatus.

Medea, somnio quodam turbata (III, 616-635), in quo sibi in tauros pro Iasone depugnare visa est, fervido hospitis amore animum suum inflammari sentit; qua re novis vexata curis largos effundit fletus. Quod una ex ancillis Chalcopae, ejus sorori, repente renuntiat, quae Medeam quibus exagitetur curis sollicita rogat. Tum virgo, quo facilius hospiti succurrat, luctuosa se vidiisse somnia fingit (ὄψεις εἰπεν / τολα δόλῳ III, 686-87) ita ut Chalciope, pro filiorum salute

6. *Ibid.*, 496-98.

7. *Ibid.*, 499-501.

8. *Ibid.*, 520-21.

9. Cr. WETZEL, pp. 26-7.

10. *Ib.*, p. 27.

anxia, sororis imploret auxilium ad Argonautas conservandos. Rem enim gerere sorore consentiente Medeae in animo est¹¹. Quo igitur id melius assequatur, primum se Chalciopae filiis timere virgo dicit¹², deinde luctuosa se vidisse somnia simulat: «τοῖα κατακνῶσσουσα μινυνθαδίω νέον ὑπνῷ / λεύσσω δνείρατα λυγρά, τά τις θεὸς ἀκρύαντα / θείη, μηδ' ἀλεγεινὸν ἐφ' οὐάσι αῆδος ἔλοιο» (III, 690-92).

Nunc ut singula breviter consideremus, nemo certe dubitare potest quin, sicut apud Homerum Ulixes¹³, Medea somnii mentionem faciat, ut quod vult consequatur, etsi quae viderit ne ipsa quidem enarret, sed simili astutia vix attingat. Somnium autem, ut jam vidit Wetzelius¹⁴, potius ad ostendendum virginis animum usurpavit Apollonius, quam ut rerum narrationem propelleret. Chalchiope enim jam antea de Medeae animo sibi conciliando deliberaverat¹⁵, si quod auxilium liberis suis a sorore acciperet¹⁶. Ex quo igitur conicere possumus Medeam a poeta somnium ementientem induci, quo reconditi puellae sensus legentibus melius illustrentur¹⁷. Quod cum somnio ab Ulike facta, de quo supra diximus¹⁸, stricte congruere videmus.

VERG., *Aen.* V, 636-38

Nunc ut ad Romanos epicos transeamus, primum in *Aeneidis* I. V vv. 636-38 hujus generis somnium legere possumus. Narrat enim poeta Iridem a Junone demitti, ut Trojanas mulieres, maris erroribus defessas, ad exurendas naves impellat, dum Aeneas ejusque socii funebres Anchisae ludos concelebrent. Tum Iris, divinam exuta faciem, in vultus se transformat aniles atque Beroë fit, Trojana mulier nobili genere nata. Specie mutata matres alloquitur easque, quo majorem verbis suis tribuat auctoritatem, sic incendit: «*Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago / ardantis dare visa¹⁹ faces: 'hic quaerite Trojam, / hic domus est, inquit, vobis'*».

Hoc igitur Vergilii loco fictum somnium a falsa Beroë narrari, quamvis brevissime, videmus, cum neque Ulixes apud Homerum quae somniaverit dicat neque apud Apollonium Medea. Recte tamen suam quisque excogitavit rem. Neque enim Ulixem apud Homerum, neque apud Apollonium Medeam somnium narrare oportet. Sanam vero rationem reique congruentem adhibet Vergilius, cum falsam Be-

11. III, 641-43.

12. III, 688-89.

13. ξ, 495-98; cf. pag. superior.

14. Cf. WETZEL., p. 27.

15. III, 667-68.

16. III, 697-98.

17. Medea, ut Wetzelius verbis (p. 27) utar, «Iasonem tam casto et pudico amore amplectitur, ut hunc animi motum etiam sororem celet».

18. p. 275.

19. Quomodo Vergilius verbo *videor usus* sit, cum in *Aeneide* somnia descriptis, jam attente perpendimus (cf. GRILLONE, *Il sogno...*, p. 36, adn. 1).

roën inducit simulantem se Cassandrae imaginem per somnum vidisse, quae idem admoneret quod ipsa hortabatur. Judicat enim Iris ficto somnio se quod vult facilius assecuturam, quia Cassandram vatem, Priami regis filiam, Trojanae mulieres maxime cōlebant.

Hoc quoque deinde haud inutile est considerare, Vergilium a ratione, qua in somnii ficti artificio usi sunt et Homerus et Apollonius, longe nec sine causa discedere. Nam apud Graecos epicos qui aliquid se somniasse dicunt, etsi somnium non narrant, facile tamen ab iis qui audiunt creduntur eorumque verba veridica judicantur. Apud Vergilium contra, etsi falsa Beroë quae somniavit exponit mortuaequae vatis profert umbram²⁰, Trojanæ mulieres dubitant atque parvam auctoritatem somnio tribuere videntur. Quam ob rem quod vult non assequi Iridem videmus, nisi *cum dea se paribus per caelum sustulit alis / ingentemque fuga secuit sub nubilus arcum* (vv. 657-58).

Vergilius tamen aliqua ex parte Homerum et Apolloniū secutus esse videtur, quoniam somnio ab Iride ficto rerum narrationem ne ipse quidem expedire voluit, hoc tantum intendens ut Trojanarum matrum animos incitatos ostenderet earumque sensus apertis verbis indicaret²¹.

VAL. FLACC. I. 47-50

Nunc quaedam de somnio quod se vidisse simulat Pelias apud Valerium Flaccum (*Argon.* I, 47-50). Pelias, Haemoniae tyrannus, Iasonis nepotis famae invidens *leti... vias ac tempora versat* (I, 32). Juvenem tandem occupat ejusque vigorem praedicat atque *fictis dat vultum et pondera dictis* (I, 39)²². Somnium etiam fingens, narrat, ut Iasonem in perniciosissimam illiciat expeditionem, per quietem umbram saepius se videre Phixi²³ de morte inulta querentem²⁴.

20. Mortuorum umbris minus auctoritatis Vergilium tribuere quam deis, in libro, de quo supra dixi, probantibus argumentis innexus significavi (*ibid.*, pp. 48 et adn. 19; 52 et adnn. 15 et 16; 57; 59 et adn. 7).

21. Iridem matres non brevi oratione incitantem inducit Vergilius, ut Trojanarum mulierum sensus tantum effingat: quod jam recte Heintio visum est (cf. *Vergils epische Technik*, Leipzig, 1908, p. 305).

22. A. GRUENEBERG, *De Valerio Flacco imitatore*, diss. Berol., 1893, p. 22, ex Pindari *Pyth.* IV, 79 sqq. haec Peliae verba a Valerio sumpta aptissime docuit. P. LANGEN (edit. Val. Flacc. Berolini, 1896-97, p. 25) somnii artificium jam apud Pindarum Valerium invenisse etiam adnotavit.

23. I, 47-49: «*ipsum juvenem tam saeva gementem, / ipsum ego, cum serus fessos sopor alligat artus, / aspicio*».

24. Communis antiquorum opinio fuit atque a poetis accepta «Manes inulitorum vel per vim necatorum ultionem poscentes et ad ulciscendum incitan tes apparere» (H. MENDE, *De animarum in poesi epica et dramatica ascensi*, diss. Vratisl., 1913, p. 53, adn. 2, qui AESCH., *Eum.*, 94 sqq. profert, «ubi Clytaemestra Furias dormientes, quae Orestem perseguuntur, e somno suscitat, ut ulciscantur»).

Apud Valerium, ut videmus, somnium perpaucis narratur, sicut apud Vergilium. Deinde Pelias quod animo intendit facillime consequitur, alia tamen ratione atque apud Homerum et Apollonium Ulysses et Medea. Iason enim, gloriae cupiditate actus, quamquam Peliam perspicit somnium callide machinatum²⁵, tamen expeditionem ducere se paratum dicit. Ex quo Iasonis consilio facile colligere possis somnium a Pelia fictum permagni esse ponderis ad fabulae rem quamvis singulari ratione, propellendam. Quod vero apud ceteros poetas non vidimus.

SIL ITAL. II, 561-68

Proximum quod legimus fictum somnium²⁶ apud Silium Italicum (II, 561-68) invenimus. Nam et Silius, qui haud pauca in carmine suo intexit somnia, Vergilii exempla plerumque secutus, hujus generis artificium adhibere voluit. Narrat igitur Silius, quomodo Junonis jussu²⁷ Tisiphone, in Saguntinae Tiburnae faciem conversa, Saguntinorum animos terrore et furore compleat conturbetque. Somnia enim se vidisse simulat, quibus virum sibi per noctes apparuisse suum dicit seque ab illo jussam mortem sibi ipsam consciscere.

Quod somnium si attente legeris, plures sane Vergilii locos Silium contaminasse conspicies. Haud difficile enim est videre quaedam excerptisse Silium e duobus Vergilii locis, utbi et Didonem et Aeneam poeta inducit, in somnis alteram videntem Sychaei conjugis imaginem²⁸, alterum Hectoris ducis²⁹. Omnibus vero liquet somnium ab Iride fictum, de quo supra diximus, sibi praecipue imitandum Silium proposuisse. Namque, exempli gratia, ut Trojanas mulieres apud Vergilium, ita apud Silium Saguntinos deae verba statim non incidunt; at *caeruleus maculis auro squalentibus anguis* (II, 585) ubi primum apparet, tunc vero Saguntinorum animi mentesque permoventur. Ex quo etiam colligere possumus hoc somnio fabulae rem non propelli. Tacendum denique non est Silium, secus atque Vergi-

25. I, 64-65: *Mox taciti patuere doli nec vellera curae / esse viro, ...*

26. In somnis enim Tiburnae apparere virum, cum Wetzlio (p. 82) censeo.

27. A. VERG., *Aen.* VII, 323 sqq., ubi ciet Allecto Juno, ut Turnum ad bellum incendat, Silium hunc locum hausisse, recte vidit Wetzelius (p. 82).

28. VERG., *Aen.* I, 353-60. Cf. SIL., ITAL. II, 561-62: «*Vidi ipsa cruentum, / ipsa meum vidi lacerato vulnere...;*» et VERG., *Aen.* I, 353-56: «*Ipsa sed in somnis inhumati venit imago / conjugis ora modis attollens pallida miris; / crudelis aras trajectaque pectora ferro / nudavit...;*»

29. VERG., *Aen.* II, 268-302. Cf. SIL. ITAL. II, 564-66: «*Eripe te, conjunx, miseranda casibus urbis / et fuge...; / ... cecidere penates;*» et VERG., *Aen.* II, 289-90: «*Heu fuge, nate dea, teque his ... eripe flammis. / Hostis habet muros, ruit alto a culmine Troja...;*»

lium ceterosque poetas, quorum excussimus locos, deam non paucis somnium enarrantem inducere.

STAT., *Theb.* V, 134-41

Ne quicquam vero praeterire videamur, de somnio, quod apud Statium (*Theb.* V. 134-41) fingit Polyxo, pauca dicamus³⁰. Quae virgo, ut Lemniades mulieres ad caedendos impellat viros, auctoritate nititur Veneris, quam in somnis sibi apparuisse simulat. Hoc quoque fictum somnium ex eodem *Aeneidis* loco, ubi Vergilius Iridem Troadas incitatem inducit, sumptum videtur³¹. Quamquam vero et Statius Vergilii sequitur vestigia, suum somnium tamen, sicut apud Silium Tisiphone, non brevissimis absolvit Polyxo verbis, atque quod vult consequitur, sicut apud Graecos poetas suam perficere rem somniis simulatis et Ulixem et Medeam vidimus. Somnium autem, quod apud Statium invenitur, cum Lemniades ad horrendum inducat sceles, tamen ad *Thebaidos* argumentum non pertinet, idque ad deducendas res, quas enarrat poeta, minime prodesse videtur. Quod de omnibus quos perpendimus locis si Valerii Flacci excipias, etiam dici potest.

Ut igitur hoc commentariolum paucis conficiamus, rem nostram brevissime concludere volumus. Ficti somnii artificio primum inter epicos poetas usum esse Homerum diximus eumque id usurpasse, ut et mendici, qui narrat, et Eumaei, qui audit, mentem animumque detegret. Apollonium Rhodium deinde Homeri secutum vestigia judicavimus, eumque ejusdem generis artificium adhibuisse, quo melius Medeae animum pudoremque effingeret. Mox inter Romanos epicos, quos quidem legere possumus, primum hoc esse usum artificio Vergilium demonstravimus, quem diximus ad hoc unum intendisse, ut Trojanarum matrum animos incitatos ostenderet earumque sensus apertis indicaret. Unus autem Valerius Flaccus nobis visus artificium adhibuisse, ut rem narratam ad exitum perduceret, aliter scilicet ratus ac Silius, qui Vergilium ad imitandum sibi tantum proposuit. Statium denique aperte patet cum Silii ceterorumque consuetudine congruisse.

Prof. ANTONIUS GRILLONE
Via Mario Rapisardi, 53
90144 — PALERMO (Panormi in Italia)

30. Nobis enim Polyxo suum somnium fingere videtur: id non solum ex vv. 131-32 deduci potest (*Lemnia classis erat: rapuit Polyxo / fortunam...*), sed etiam ex eo quod Statius hoc *Thebaidos* loco fictum Iridis somnium a Vergilio descriptum (*Aen.* V. 636-38) consulto imitari voluit.

31. Quod dilucide explicavi in GRILLONE, *Il sogno...*, pp. 144; 145 et adn. 3.

MATERNI CARMEN AMORIS

(IMAGUNCULAE)

Carmen «Laude» ornatum a Bononiensi Studiorum Universitate, in Latinae Poesis «Certamine Mingarelliano» in annum MCMLX indicto.

De calyce exiliis veluti flos nuper apertus,
vix capitis globulum qui herboso in caespite promit,
mollibus in cunis suavi eminet ore puerulus.

Vesper adest. Haustis matris multo ante mamillis,
jam pridem recubat, nec lumina condita somno
solvit adhuc; digitum solito sed more labellis
suspendit, redeunte fame, sugitque beatus.

Mater, cum rursum lac praebendi appetat hora,
passibus accedit tacitis.

Ingressa cubiculum,
mox flammam reserat, subitam quam sucina defert
virtus transvolitans, nocturna in lampade. Clarus
fit locus; ast habili mitescunt verbera lucis
tegmine, quod radios lychni cendentis opacum
contrahit ac tenues circum discriminat umbras.

Custos inde alacris prope cunas sidit, et adstat
ut cupidus citius nutrice fruatur alumnus
neu flens, in tenebris solus, lactere reposcat.
Adstat; acu interea sua pingit lintea quaedam.

Pax tranquilla domum tenet et cunabula. Sugens
lente sopiti crispatur baccula nati;
turgidulum spirare putes cui gaudia vultum,
seu quod nectareum laticem per somnia libet,
oscula seu vigilis libet per somnia matris.
Pingere quae pergit; dulcis nisi forte cupido
invitat parvisque genis capitique tenello
blandiri visu, ac glomeri quod carnis adumbrant
laevia compta super puerilem stragula lectum.

— «Quam mihi jucundus! Tam forma atque ore venustus,
tam teres et roseus, quiddam caeleste videris» —,
murmurat exigua tunc voce silentia mulcens.

Attamen et laetae matri trepidare necesse;
usque cor innumeris matri penetrabile telis:
pignora cara videt tot namque objecta periclis,
tot subitura vices rapidis volventibus annis.
Spe ac votis igitur venturum tempus adurgens
de puero quae scire nefas sectatur; et ulti
fallaces inter species sic mente vagatur.

— «Noscere cur nequeo qui sis, mea vita, futurus?» —
haec animo versans, placide componit inertes
illa manus genibus, puerumque tuetur amanter;
— «Qui mihi tu fies tua quando adoleverit aetas?
Ipsa equidem vetula, at validis tu viribus auctus» —
addit, dum palmas relevat pensumque resumit,
— «certo eris; et pulcher sane, ut non pulchrior alter...» —
Leniter arridet. Nova sed subrepit imago:
— «Quae sibi» — et ignotae quasi jam nunc invidet umbrae,
— «quae sibi blanditiis mulier tua basia carpet?
cujus eris? quod inibis iter? quod munus obibis?...
An procul infelix matrem fortasse requires...?

Ecce, graves fuimus tot menses pondere matres,
enixae interdum capitis discrimine partus,
nostram laturaे e gremiis in limina lucis
prolem, quam parvo rapiat post tempore vita!

Hoc tamen agnosces: ut te tua mater amavit,
nemo umquam pariter nec tam constanter amabit». —

Submisso in cunis, maternis sensibus ut si
adnuere is vellet, puer ingemuisse videtur.
Dormit adhuc.

Et adhuc ea lini intenta labori:
— «Si aufert vita suo maturam gurgite prolem,
quam saepe immritis» — queritur — «mors haurit acerbam!
Insidias molita latet... vel aperta repente...
Sed valeam, o utinam valeam! te semper ubique
tutari, adfuerit, mea lux, quodcumque minarum.
Quin, non ex medicis robur tu languidus herbis
eliciens, spero, pubesces fortis et audax,
praesidium decus atque meum...»

Tunc te modo bellum...» —,
quae ut primum, semota licet, succurrit imago
(monstrum immane procul), coit in praecordia sanguis;
— «tunc modo ne bellum te absorbeat. Effer a bella!
matribus heu quantum detestata impia bella!» —

Post paulum vero: — «Quodsi» —, meditatur et horret,
— «si sors (infandum nobis Deus arceat omen!),
sors nimica tibi miserabile destinet aevum,
te ut scelus infamem reddatque ignavia spretum,
a potius cernam, percussum vulnere cernam,
aurea te patriae dimittere dona juventae...» —.

Hinc puero sensim laxantur vncula somni;
nam quasi flebiliter sub plumis pipilat et se
quantulus est membris nisu contorquet inani.
Dein somno emergens incertis nictat ocellis
somnumque exhalans levis oscitat ore pusillo.

En subito attendit studiosa animuīque serenat
mater eum spectans, fragili qui nomine temptat
se erigere in cunis vagitque cupitque levari.

— «Quae commenta sequor? cuinam componere fas est
sponte sua curas?» — secum ipsa quieta susurrat.

Ac simu! adsurgit sollers et stamina acusque
forticulasque, operis sua textilis arma, reponit;
extollitque quatitque joco festiva puellum
sublatum, manibus qui pendens cruscula jactat,
brachiolis trepidat gestitque attingere mammae.

Cui cedens, iterum sidit gremioque ruentem
vultu in lac recipit roseisque flagrantia figit
savia crebra genis.

Et mox: — «Mi floscule dulcis» —,
contemplata parum, jam dudum pressa petenti
ubera dum properat gaudetque expandere nato;
— «floscule dulcis» —, ait, — «mihi sint occulta, meum cor
deliciumque, tuae pulcherrime pupule matris!
sint occulta mihi, quae sors tibi postera servet.
Cunctis, ne noceat, vetitum praescisse futura,
quippe Dei tantum mortalia fata tueri.
Si bonus ac sanus, quaeram non amplius ultra.

Maec mihi magna quidem nunc sunt et certa tibique:
in tua me vitam stillare ex corde labella,
te didicisse tuam risu cognoscere matrem...» —

Ille sed esuriens caro jam pectori adhaeret
applicuitque manus, operitque beatus ocellos
ubera nota premens.

Tacite quem sedula mater
desuper explorat, quoad praemia captet amori
sola suo, pueri risum post munera mammae.

Prof. JOANNES AMBROSI
Via Romagna, 7
FULGINIAE (Foligno) ad Perusiam in Italia

DE VERGILI MIRABILI VI IN COMPARATIONIBUS EFFINGENDIS

Summa Vergili ars Graecis exemplaribus conectitur; Aeneis praesertim ad Odysseam, Iliade praeclara versum vi perfectiorem ac quadam serena re sublimiorem, conformatur. Nam ab utroque Homeri poemate et verba et locutiones et comparationes poeta hausit, qui quidem uberrima suo ingenio semper ea mirabiliter exprimit. Mantuanus vates, ut Homerus, peritissimus est suavissimas comparationes creandi atque effingendi: omnes enim Vergilianae comparationes a rebus contemplandis perspiciendisque atque ab animalibus desumptae sunt et animi secreta aut improvisam vitae condicionem urbane depingunt.

Modo Aeneidem nunc consideremus, ex qua quandam comparationem inter amoenissimas multas deligere nobis frequentius datur. Mirifica est comparatio de lupo esurienti ac rapaci, qui multos greges trucidat. Attente eam consideremus:

«..... lupi ceu
Raptore atra in nebula, quos improba ventris
Exegit caecos rabies catulique relict
Faucibus exspectant siccis»¹.

Pulcherrima comparatio haec, quae saepius in Iliade atque in Odyssea occurrit, in Vergili poematis libro nono iterum, paucis verbis mutatis, invenitur:

«Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
Quom fremit ad caulas, ventos perpessus et imbris,
Nocte super media: tuti sub matribus agni
Balatum exercent, ille asper et improbus ira
Saevit in absentis, collecta fatigat edendi
Ex longo rabies et siccae sanguine fauces»².

1. VERG., *Aen.*, lib. II, 355 - 358.
2. VERG., *Ib.*, lib., IX, 59 - 64.

In libro quarto admirabilem legimus comparationem, qua poeta nobis exhibet misserrimam Didonem, quae vehementem libidinem ex corde evellere magnopere studet, sed insano amore ubicumque infelix regina vexatur, sicut venatoris sagitta in cervae fugientis late re fixa:

« qualis coniecta cerva sagitta,
 Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
 Pastor agens telis liquitque volatile ferrum
 Nescius: illa fuga silvas saltusque peragrat
 Dictaeos; haeret lateri letalis harundo»³.

Venustissimam praetermittere non possumus comparationem, qua Vergilius, summa artificii vi, oculis nostris depingit formicas, quae ferventes frumenta herbasque aestate convectant, ne gravi hieme cibo careant:

«Ac veluti ingentem formicae farris acervum
 Cum populant hiemis memores tectoque reponunt:
 It nigrum campis agmen praedamque per herbas
 Convectant calle angusto, pars grandia tradunt
 Obnixae frumenta umeris, pars agmina cogunt
 Castigantque moras; opere omnis semita fervet»⁴.

Formicarum comparatione utitur Poeta, ut Laurentinorum civium, inter se maxime dissentientium, summam perturbationem depingat: nam apium alveari, quod pastor amaro fumo impleverit, comparata est civitas post Amatae reginae voluntarium interitum:

«Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
 Vestigavit apes fumoque implevit amaro;
 Illae intus trepidae rerum per cerca castra
 Discurrent magnisque acuunt stridoribus iras;
 Volvitur ater odor tectis, tum murmure caeco
 Intus saxa sonant, vacuas it fumus ad auras»⁵.

3. VERG., *Ib.*, lib. IV, 69 - 73.

4. VERG., *Ib.*, lib. IV, 402 - 407.

5. VERG., *Ib.*, lib. XII, 587 - 592.

Pueri Euryali necem poeta suavissima atque ineffabili comparatione hac celebrat, quae multorum vatum pectora movit; adulescens moriens, qualis purpureus flos aratro succisus, molle caput reclinat. Apud florem Vergilius exquisita arte papaver posuit, quod rubris foliis suis memoriam virginalis sanguinis, pro patria fusi, lectoribus afferret:

«Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur»⁶.

Mirificam comparationem hanc, quam in Iliade invenimus ubi de Gorgitionis, Priami filii, nece Homerus disputat in poematis sui undecimo quoque libro, in quo Pallantis necem describit, paucis dissimilibus verbis Mantuanus poeta nobis praebet. Nam interfectum puerum comparat Vergilius molli flori, quem pura virginis dextera recidit. Etiam si materna tellus ei vires non ministret atque eum jam jam non alat, pulchritudinem tamen ac gratum odorem suum aliquamdiu efflat. Similiter Pallas adulescens pulcher erat ac suavis in virgineo mortis pallore, etiam si oculi ejus lumen solis jam non haurirent et cor ejus vitae fremitum non adnimadverteret:

«Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violae seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc nec dum sua forma recessit:
Non jam materna alit tellus virisque ministrat»⁷.

Turni effrenatus belli amor nobis ostenditur qualis equus vivendi cupidus ac furens, qui per flumina atque agros advolat, ut luxuria^e ac vitae suae modi summum ardorem leniat:

«Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber equus campoque potitus aperto
Aut ille pastus armentaque tendit equarum
Aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque jubae per colla, per armos»⁸.

6. VERG., *Ib.*, lib. IX, 551 - 553.

7. VERG., *Ib.*, lib. XI, 68 - 71.

8. VERG., *Ib.*, lib. XI, 492 - 497.

In undecimo libro, in quo Poeta, summa arte praeditus, acrem pugnam inter Tarconem et Venulum describit, exquisitam invenimus comparationem, quae exhibet duos feroce pugnatores, similes aquilae ac serpentis, inter se atrociter conflictantium:

«Utque volans alte raptum cum fulva draconem
 Fert aquila implicuitque pedes atque unguibus haesit,
 Saucius at serpens sinuosa volumina versat
 Arrectisque horret squamis et sibilat ore
 Arduus insurgens; illa haud minus urget obunco
 Luctantem rostro, simul aethera verberat alis»⁹.

Legentes forsitan gravi molestia afficiamus, si omnes Vergilianas mirabiles comparationes referamus, quas summo studio ac ingenio creavit aut ab Homreo praeclaro artificio hausit, quibusque expressis ingenii sui formam ita impressis, ut mentes nostras excitaret ac suaviter moveret.

Prof. AEMILIUS PIOVESAN
 Via Fontane, 111
 TARVISI (31100 TREVISO) in Italia

9. VERG., *Ib.*, lib. XI, 751 - 756.

ASTRONAVIS “APOLLO XVII” POSTREMUM ITER PEREGIT

A. d. VII nonas decembres, a. MCMLXXII, paulo plus semihora super sextam apud Americanos, semihora post meridiem apud Italos (nam princeps urbs, Roma, decimoquinto gradu ab oriente circuli meridiani Greenwich, princeps vero Americae Septemtrionalis urbs septuagesimo ab occidente abest), ex area ad aetherias capsas trai-ciendas constituta apud pronunturium Kennedy, quod nuncupant, astronavis «Apollo XVII» se sublime levavit: tres americanos viros vehit, *Eugene Cernan*, veteranum ac peritissimum hujusmodi volatu-mum (jam tertio enim inane spatiū transvolat), *Ronald Evans* ti-ronem, *Harrison Schmitt*, terrestris naturae investigandae studiosum. Eadem astronavis quandam «auto-raedam» (britannico sermone «lunar rover», latino «erraticum») vehit, praeter non pauca instrumen-ta, praestantiora pleraque quam illud «Lunar Surface Experiments Package», a proximo superiore «Apollo XVI» in lunari solo positum: id prae ceteris praecipuum, quod principia perpendere valet, ex qui-bus lunaris aura constet, (si qua forte exsistat). Maximi ceterum mo-menti explorare videtur num aquae subterraneae indicia inveniantur, ex rerum naturae peritorum plerumque sententia.

Incredibilis fere astronavis jactus. Nam, ingens illa catapulta, in Kennedyano pronunturio constituta, paene corruere visa est, den-sissimo fumo involuta, candescente primum, mox clarescente; flam-ma est dein exorta subrutila, versicolor gradatim: viridis, lutea, ro-sea, abnormi quasi incipiente aurora. Pauca sunt vix temporis mo-menta transacta, cum capsa princeps, cui cognomen «America», oculorum aciem effugit: Terram orbitare perrexit. Ex nuntio, quod pri-mus *Cernan* transmisit, arbitrari licebat curis interim vacuos esse cosmonautas: — «Risum teneatis — ait enim ille —; dico enim nos, hujus astronavis hospites, Terram esse rotundam iterum iterumque probare assumpsisse».

Tertia interea ignei propellentis jaculi pars, jam modo sejuncta, seorsum imane spatiū transcurrere perrexit, se violenter in super-ficiem lunarem illisura, dum reliquum vehiculum satellitem terres-trem orbitare coepert: qui conflictus «sismographiis», super lunari

solo superiore itinere positis, per notas inscribetur. Capsa princeps «America» jam aetherium spatium septingenties et vicies centena milia passuum (italice: duemila settecento miglia), vel potius quatuor milia kiliom. singulis horis emetitur; quae velocitas, attractiva Terrae vi deficiente, gradatim minuetur.

Duodecima est jam hora consumpta, cum *Cernan* et *Schmitt* e capsae principe in vehiculum lunare, cui cognomen «Challenger» (latine: «certamen proponens», ital. «sfidante»), eidem capsae adhuc adhaerens, per quoddam ostiolum transierunt, inspecturi num comparata instrumenta optime valerent. In capsam reversi, artus longo somno refecerunt, a media alterius diei nocte ad postmeridianum diei tertii tempus (a.d. V id.dec.) producto: post iterata expurgandi signa, decimo quoque temporis momento data, sunt excitati; incerta doctoris *Schmitt*, somno adhuc gravis, vox est audita: — «Dormitamus; nihil novi!» — Non multo post, cosmonautae enixe jam operam dederunt ad hujus tertii diei pensum perficiendum: nam, per arctum cuniculum, qui lunare vehiculum («Challenger») cum capsae principe conjungit, instrumenta denuo inspicerunt, quae super satellitem deambulantes adhibere oportet.

E terrestri praecipua Sede interim, apud Houston, de hujusmodi rebus eruditи viri detulerunt nulla omnino sollicitudine affici posse ob quodam vitium jam pridem repertum in distrahendis retrahendisve lunaris vehiculi uncis, cum novem tantum ex duodecim satis essent: nihil enim impediet quin idem vehiculum expeditius deinceps e capsae principe se solvat aut rursum conjungat. Animo itaque reflectus, magni momenti experimentum cosmonauta *Evans* temptare exoptavit, antequam somno membra porrigeret: quomodo quilibet liquor variet ponderis legi non obnoxius; nam vasculum, aliquantum liquoris capiens, lucis ope impressum, miram colorum varietatem pro vario caloris gradu ostendebat; cujus imagines impressae deinceps attente perspicientur.

Quinquagesimo fere temporis momento super vicesimam horam (italice computatam), quarto ab inito itinere die, postquam capsae princeps «America», in lunarem orbitam ingressa, pauxillum temporis alteram Lunae faciem, terrigenis occultam, circumierat, *Cernan*, astronavi praepositus, hoc in Terram transmisit nuntium: — «Animum nunc demum relaxamini: «America» in portum jam pervenit, ad certamen obeundum parata!» Nihil igitur perturbatum, nisi quod idem *Cernan* quodam ventris flatu aliquantum laborabat.

Quinto ab inito itinere die, vicesima prima circiter exacta hora, ob primae victoriae nuntium nimio gestum est gaudio: lunare vehiculum («Challenger») a capsae principe sine ullo incommmodo se-

junctum, se molliter super lunari solo posuisse, in valle, quam «Taurus Litterow» nuncupant, juxta extremum «Serenitatis Mare» (sic caeli siderumque peritis appellare placuit), praestituto fere loco, nullo (mirum!) sublevato pulvere pro magna pulveris vi ex alio superiore, etsi molli, delapsu subvoluta.

Nunc, hercle, epulandi tempus est: copiosae ac sapidae dapes e metallicis vasculis prodeunt (etsi aliquid e manibus vel e labiis evolat). Statim autem, cibo satis refecti, *Cernan* et *Schmitt* (*Evans* satellitem interim orbitare perget, opperiens dum socii redeant), tunica bracata induiti, ad primam excursionem perficiendam se paraverunt. Prior *Cernan*, cum per vehiculi ostiolum reclusum descendisset, incerta vestigia in pulverulenta superficie impressit (paululo post horam primam, sexto ab initio itinere die); mox *Schmitt* est eum secutus, qui, quasi mente excedens, ex improviso exclamavit: — «Mi Deus, quam pulerum foris spectaculum!» — Prima excursionis, inde, initium una simul fecerunt, pedes caute conferentes ad quosdam novi generis montes, quos *Schmitt* «quadratas capsas» definit, se septingentos quinquaginta passus super tria milia sublime attollentes. «Indignum quidem est —ait idem— quod nullus poeta nos comitatur: in lunari itinere nonne decet quendam verum adesse poetam?» In septem integras horas est haec prima excursio ducta: ad montinum pedes constiterunt, qui vallem, «Taurus» dictam, circumscribunt; varia pulveris lapidumque exempla ibidem collegerunt. Longior ac durior labor quam ut, auto-raeda vecti, non ad «Challenger» se cubitum reciperent. Hora prima et vicesima, sexto ab inito itinere die, alacrius alteram excursionem aggredi se paraverunt; attamen, e vehiculo «Challenger» per breves gradus degressi, semi-hora septimi ab inito itinere diei, anbo in subitarium luticipulum (ital. «parafango»; britan. «splash-board») exstremendum necesse incubuerunt, pro altero, quod est e posteriore vehiculi rota relapsum.

Laboriosa profecto atque industria hodierna dies, quam ad humi naturam investigandam consumere oportebat de prisca satellitis originis aetate. At vix *Cernan* et *Schmitt* deambulare exorsi erant, cum, propter insidiosam soli condicionem, inconsulte vitare non potuerunt quin procumberent (gravitatis videlicet omnino vim paene immemores!); nullum tamen grave incommodum, nisi quod sunt bracatas tunicas nigra, molli, pingui pulvere oblii. Quod fortuitum tamen in quoddam utile exploratores converterunt: nam, *Schmitt*, in terrestri natura, ut supra diximus, investiganda versatus, suspicione videlicet fretus, ibidem ignium eruptionem, quodammodo vel recentem, exortam opinatus est (centies forsan centiesque centena milia abhinc annorum!): in nonnullis enim imis crateribus, quibus est plaga fre-

quens, quiddam translucens, vitreum potius, inveniri haud dubie potuit.

A vehiculo lunari quindecim milia passuum distantes cosmonautae montem subierunt, «Australe jugum» dictum, (italice, vulgo «Massiccio del Sud»), in cuius mole, ad imam vallem devoluta, ille eruditus, cuius superius mentionem fecimus, firmam adhuc spem ponit se lunaris aetatis secreta inspecturum.

Breviter artibus somno ciboque refectis, tertiam ac postremam excursionem cosmonautae peragere aggressi sunt (tertia jam pars vicesimam tertiam horam excesserat) apud vallem e montis «Taurus Littrow» declivibus patentem, alium montem, «Septentrionale jugum» (italico sermone «Massiccio del Nord»; britannico «Nort Massif»), petentes. Auto-raedam («Lunar rover») septem ac decem milia passuum ante metiri oportuit quam ad cratera «Shoty» perveniret, ubi mirus humi color in opinionem induxit quendam aquarum quandoque exhalare vapores: mirabilem profecto rem, cum quiddam umoris inter lapides vulcanios concalusse oportuerit. Pala ac dolabra praeditus, cosmonauta Schmitt nonnulla lapidea fragmenta, caesio fere colore, e «Septentrionali jugo» divellit, quae, inspecta, metallicas particulas forsitan conderent. Postquam aliquamdiu in hujusmodi opere fuerant, sic defatigati ac manus dolentes, ad vehiculum versus discessuri, Cernan et Schmitt coram Foederatarum Americae Civitatum vexillo constiterunt, ut cuncto humano generi lapidem breviter dicarent; in ima enim vehiculi fronte laminam figura incisam apposuerunt, quae terrestris globi haemisphaeria nec non sex illas Lunae plagas exprimit, ubi superioris temporis astronavium vehicula se deposuerant; ibidem hanc aheneam tabulam reliquerunt, caelestium horum viatorum hominibus, Richard Nixon nomen sequentibus, obsignatam: «*Hic, humanum genus Lunam exploratam reliquit, mense decembri MCMLXXII p. Chr.*» — «*Pacis spiritus, quem ad fovendum huc pervenimus, in cunctorum hominum vita refulgeat!*»

Nunc in vehiculum demum se recipiendi tempus esse americani Lunae exploratores arbitrati sunt; nam, semihora super vicesimam tertiam octavi ab inito itinere diei, reditui in Terram parando operam dederunt, Foederatarum Americae Civitatum postremo principis civis nuntio laetitia exultantes: — «*Conscii recte sumus* — ait Nixon — *non potius quid hactenus egerimus quam quid posthac fieri possit... Pauxillae vix res huic profecto comparari possunt, quae alterius aetatis initium significaverit.*»

In primis, igitur, vehiculi «Challenger» cum capsula principe («America») conjunctio est altera noni diei hora optime effecta. Dum autem Cernan, Schmitt, Evans, una demum versati, Lunam orbitant,

idem «Challenger» por terrestrem impulsum in satellitis oram graviter collisum est; cuius ictum illud sismographium, apud plagam «Taurus-Littrow» constitutum, quibusdam notis scidulis mandavit. — Ad quadragesimum en temporis momentum, undecimo ab inito itinere die, astronavis «Apollo XVII», Luna compluries orbitata, Terram jam petiit, una cum cosmonautis lapides varios pulveremque vehens, qui trecentas sexaginta libras pondo superant, multas insuper atque conspicuas luce impressas taeniolas, rerum naturalium peritis perspicendas. Per orbiculatam ejusdem astronavis fenestellam, e longinque, super satellitis ora, apud cratera «Sulpicius Gallus», juxta extremum «Mare Serenitatis», quaedam crusta colore luteo in conspectu apparuit, eodem quo jam pridem in montis «Taurus-Littrow» valle tuitus est *Schmitt*: quod in suspicionem induxit centies centena milibus abhinc annis e quorundam Lunae montium verticibus erupisse ignes. Eadem die, tertio alterius ac vicesimae horae parte (italice videlicet computata), *Roland Evans* e capsula principe egressus est, propria indutus tunica, tantum vere umbilicali quem dicunt funiculo retentus, quo oxygenum imbiberet, aeratis insuper filis usus, ut cum comitibus *Cernan* ac *Schmitt* nec non et terrigenis eruditis colloqueretur.

«Quae talis — dixeris — libera per inania excursio?» Ad quandam arculam videlicet recuperandam, foris in loculo ex industria depositam, quae multas cinematographicas taeniolas conderet.

Amplius hora sic faciendo consumpta, astronavis, post *Evans* rursum receptum, lunaris gravitatis vi superata, reliquum ad Terram versus iter perrexit; postremos satellitis aspectus, antequam longius abirent, lucis ope imprimere cosmonautis placuit, quos quidem terrigenae conspicere nequeant prae occulta ejusdem Lunae facie.

Cum optime ex consueto quievissent, primo mane, undevicesimo ab inito itinere die, peropportune diurnarios, apud Houston, in Terra, congregatos, de futura plerumque re cosmonautica gerenda edocere visum est. Ad summa Oceani aequora attingenda omnia sunt interea parata. Nam, vix tertia vicesimae primae horae pars est exacta, cum astronavis «Apollo XVII», adhuc sublimius volatum peragens, per triplicem adapertilem umbellam arrepta, longius ab insulis «Samoa», quae pauxillae videntur pro immenso insularum numero, quibus est «Polynesia» referta, Pacifici Oceani aestus delibavit; brevi deinde semihorae spatio, seria illa machina helicis instructa, quae «auto-gyrus» vulgo nuncupatur, intorti chalybeii funiculi ope, hericos reduces, in gummeam cymbam jam modo translatos, sustulit atque in superno navis tabulato, aerovehicularis gerendis instructae, cui nomen «Ticonderoga», depositum. Classiarii, admodum laeti, eorum

reditum gratulati sunt, quod talis fuisse res, ut intentos universi orbis animos traheret.

«*Haec res, temere jam coepta, temerius modo perfecta, poemate epico digna — ait Joannis Leo, Italorum rei publicae Moderator — aeternitate atque immortalitate in humano generis historia donabitur.*»

Prof. JANUARIUS MARINELLI
Via Salvator Rosa, 241
NEAPOLI (in Italia)

B I B L I O G R A P H I A

SOUBIRAN, J. — *Cicéron: Aratea, Fragments poétiques.* Societè d'Édition "Les Belles Lettres", Paris, 1972. Pag. 318. F. 40.00.

Cicero, quidquid aequales vel critici aetatis posterioris dixerunt, verus exstitit poeta poesimque magnopere inde a pueritia coluit atque amavit. Quod ante oculos habens Prof. J. Soubiran scitissima introductione de Cicerone poeta disertissime agit. En totius introductionis capita: I. L'OEUVRE POETIQUE DE CICÉRON, ubi de carminibus primum disputatur a Cicerone puer et adulescente compositis, inter quae numerari licet ita inscripta: "Pontius Glaucus", "Nilus", "Uxorius", "Alcyones", "Aratea", "Thalia maesta", "Limon"; deinde maturae aetatis poemata memorantur epica Ennii vestigiis insectatis; denique de versionibus a Cicerone perfectis. II. CICÉRON POÈTE ET LA POSTÉRITÉ: quas sententias critici de Cicerone poeta protulerint, quantum Cicero poeta apud posteriores poetas latinos invaluerit. III. INTÉRÊT LITTÉRAIRE, ubi indolem ingenii naturaeque poeticae auctor Ciceroni vindicat et in primis ejus peritiam praestantiamque in poeta graeco Arato interpretando, non nullis quaestionibus maximi momenti de genere dicendi, de stilisticis rationibus, de rebus metricis ceterisque pertractatis. IV. TRADITION MANUSCRITE DES ARATEA ut postremum apparet caput in quo historia codicum fragmentorum poeticorum ciceronianorum quae Aratea inscribuntur, erudite describitur. V. ÉDITIONS. Conspectus siglorum et indice philologorum praestitutis, textus latinus insequitur accu-

ritissima interpretatione gallica et apparatu critico ad calcem paginarum instructus. Quae omnia annotationibus, ut in hujus modi editionibus mos est, illustrantur; deinde non nulla fragmenta quae exstant: Alcyones, Thalia maesta, Limon, De consulatu suo, De temporibus suis, Marius, ex Homero conversi loci, ex Aeschylo conversi quoque loci inseruntur.

CASSON, L. — *Ships and Seamanship in the Ancient World.* Ed. Princeton University Press, New Jersey 08540, 1972. Pag. XXVIII-442. Illustrations 197. Price \$ 20.00.

Homines primum minime navibus mari se communiserunt sed quibuslibet usi sunt materiis quibus super aquas sustinerentur, ut lignis vel utribus aere inflatis. Nautis maris medii praecipua pars experientiae quotidiana exstitit pontus, ubi inde a remotissimis temporibus nova itinera temptaverunt ut eum subigerent. Hoc volume historia navigationis, navium, artis et technicae maritimae eruditissime describitur jam inde a simplicissimis in re elementis (annum revoca 3000 ante Christum natum) usque ad Imperii Byzantini classes saeculo IX post Christum natum. Hoc sibi proposuit auctor, Prof. L. Casson, opus unum sufficere monographicum idque hucusque perfectum atque absolutum a Caecilio Torr exaratum et "Ancient Ships" (1895) inscriptum nostris temporibus recentissimarum investigationum ope accomodando. Liber, qui per amplio legentium numero destinatur, in textum dividitur ubi ad calcem paginarum abundantes prostant annotationes et in illustrations

seu imagines et in appendices paeterea quae ad disputationes technicas attinent. Cum hujus rei maritimae periti, tum qui mare amant, magnum habebunt in hoc volumine adjumentum ad studium cupidinemque navigacionis cognoscendae satianda.

LE BONNIEC, H. — LE BOEUFFLE, A. *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XVIII (Des céréales et des légumineuses)*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1972. Pag. 340. F. 40.00.

Hic liber XVIII totius Historiae Naturalis Plinii longe aplissimus exstat. Brevi peracta introductione ubi laudibus Plinius extollit aliam terram romanorumque tempora vetera et agrorum culturam, liber in quinque partes dispergitur quarum unamquamque conspiciamus oportet ad lectoribus notitiam aliquam praebendan. Prima pars rurali dicioni dicatur de villis et latifundiis non nullis expositis. Secunda parte frumenta hiberna et aestiva, legumina recoluntur cum eorum morbis et remediis. Tertia pars laboribus rusticis destinatur. Quarta parte de calendario seu de laboribus ruri per annum perficiendis. Quinta demum parte de phaenomenis caelestibus ad agrorum culturam pertinentibus. Auctores hujus editionis de fontibus in primis agunt libri XVIII sive ad introductionis historicae fontes, sive ad fontes capitum agronomicorum et astronomicorum et chronologorum quod attinet; deinde quid proprium novumque de re Plinius attulerit; denique quo modo textus latinus sit ope optimorum codicum stabilendus. Textum latinum cum apparatu critico interpretatione gallica, ad unguem castigata ut patet, comitatur; consuetae quoque postea prostant annotationes et index nominum et rerum qui-

bus utilissimum consulentibus redditur opus.

ANDRÉ, J. — *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XXIV (Remèdes tirés des arbres sauvages)*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1972. Pag. 168. F. 30.00.

Plinius, postquam quo pacto sese haberent medicinae urbanarum arborum tractavit, ad silvestres deinde transit. In arboribus Plinius et vitem et harundines et hederam et piceam aliaque id genus includit. Totis viribus Plinius arboribus ordinem quendam imponere nititur ita ut praecipua earum appareant genera: arbores nempe glandiferae, pini, arbores gummatae, genus spinorum et ruborum ceteraque. Praeterea Plinius de herbis agit eo tamen consilio ut medicinae quae ex illis erui possunt, memorenatur: herbae scilicet mirabiles, herbae quoque magicae quae vulgo nuncupantur. Quae omnia perdiscere facile poterit qui editionem ab egregio Prof. J. André studiosa versaverit manu et textum latinum apparatu critico exornatum et interpretationem francogalliam perlustraverit utilissimis annotationibus et indice nominum et rerum illustratam.

CARO, M. A. — CUERVO, R. J. — *Gramática de la lengua latina para el uso de los que hablan castellano*. Décima Edición. Instituto Caro y Cuervo, Bogotá, 1972. Pág. CII-946.

Optimis omnibus ad nos perveniat decima hujus Grammaticae Latinae ad usum hispanicę loquentium editio ab Instituto "Caro y Cuervo" prodita. Paginae XCIII praeviā constituunt praelusionem Prof. Georgii Paramo Pomareda cuius non nullam cognitionem praēbeamus lectoribus oportet.

Haec enim Grammatica Latina a clmis. Professoribus bogotanis M. A. Caro et R. J. Cuervo anno 1867 pri-
mum edita est; uterque professor in
communi opera allaboravit grammaticis latinis J. L. Burnouf et T. H. Key
fretus simul atque Grammatica Hispanica J. Bello. Ne cogitaveris eorum
laborem constitisse in hispanice tan-
tum aptando opere J. L. Burnouf; sed
penitus opus ab eis retractatum est
novo lumine conspectuque doctrinae
grammaticae J. Bello assiduaque col-
latione structurarum linguisticarum
hispanicarum cum latinis, ita ut pro-
fessores bogotani grammaticam accu-
ratiorem quam francogallicam in de-
scribenda et tractanda lingua latina
nancti sint eamque aetati illi magis
accommodatam quippe qui recentissi-
mis scientiae linguisticae inventis usi
sint. Opus grammaticum eamdem
structuram quam francogallicum J. L.
Burnouf conservat, praesertim vero
ad morphologiam quod spectat; quae
grammaticae pars ita ut illis tempori-
bus tractatur atque exponitur. Aliud
signum "Grammaticae Linguae Latinae"
proprium videtur divisio universae
materiae in duo curricula parallela
duplici forma typographica insig-
nita per litteras majores et minores
utrique curriculo congruentes. Synta-
xis autem tractatio nova in primis ap-
paret in qua auctores bogotani sum-
mam industriam subtilitatemque in
descriptionibus linguisticis et in phae-
nomenis describendis contulerunt.
Postea Prof. G. Paramo Pomareda
denuo investigare sibi proposuit in
praelusione quaenam Grammaticae
Latinae elementa sint exarata ab uno
quoque professore M. A. Caro et R.
J. Cuervo, adeo ut perspicuum sit
M. A. Caro Syntaxim composuisse,
Morphologiam vero R. J. Cuervo.
Prof. G. Paramo Pomareda editiones
Grammaticae Latinae memorat simul
atque de fovenda colendaque lingua

latina apud Columbianos disserit. Qui-
bus cognitis in secunda prooemii parte
non nullas habet considerationes criti-
cas de Grammatica Caro et Cuervo:
de grammaticae definitione, de usu
linguistico, de grammatica quae in
praexceptis inititur, de principio rem
linguisticam conferendi, de definitio-
nibus, de describenda lingua latina, de
novitate "Grammaticae Linguae Latinae", de "Grammatica Linguae Latinae"
ad usum scholarum. Introduc-
tione peracta Analogia incipit (p. 41-
251), Syntaxis universa (p. 253-367)
et Syntaxis specialis (p. 371-514) in-
sequuntur. Pag. 517-549 annotatio-
nes colliguntur quibus proprias sententias in re linguistica et grammatica
latina expositas corroborant auctores.
Utilem aestimamus appendicem de ca-
lendario romano (p. 553-558). Exercit-
ia compositionis latinae primo et se-
cundo curriculo respondentia summo
et alumnorum et magistrorum commo-
do praebentur (p. 561-686). Prosodia
latina L. Quicherat hispanice aptatur
(p. 687-797). Opus finitum quibusdam
supplementis ad alphabetum et ad
exercitia grammatica pertinentibus
una cum indice scriptorum latinorum,
scriptorum hispanice loquentium alio-
rumque auctorum qui in opere memo-
rantur et indice universo (p. 867-942).
"Grammaticam Linguae Latinae" Ca-
ro et Cuervo in nulla bibliotheca, qua
praecipua opera grammatica latina col-
ligantur, jure meritoque deesse po-
test.

PELLEGRINO, M. — ALIMONTI, T. —
CARROZI, L. — *Opere di Sant' Agostino. Parte II: Le lettere, I.^a
Vol. (1-123).* Nuova Biblioteca
Agostiniana, Città Nuova Editrice,
via della Srofa, 14, Roma, 1969.
Pag. CXVII-1247. L. 15000.

Maximis extollenda est laudibus
"Nova Bibliotheca Augustiniana"

quod Cathedra Augustiniana apud "Augustinianum" in urbe Roma curante et P. Augustino Trapé, O. S. A. moderante tantum exegit monumen-
tum operibus Divi Augustini latine
et italice simul divulgandis. Volumen
quod lectoribus magnopere commen-
damus, partem alteram constituit, ubi
litteras Sancti Augustini (1-123) ac-
curatissima forma typographica editas
magno gaudio fruimur legendo. Tex-
tu latino editionis maurinae usi sunt
interpretes, cum corporis scriptorum
ecclesiasticorum latinorum collato;
Prof. M. Pellegrini introductionem
scitissimam paravit et Prof. T. Ali-
monti et L. Carrozza versiones ver-
naculas, quae omnibus probabuntur,
exararunt. Annotationes, quibus opus
abundat, L. Carrozza tribuuntur. Ad
introductionem igitur primum acceda-
mus oportet, quae mirandus jure vi-
detur de litteris augustinianis tracta-
tus. En capitum index: I. TIERNI-
NOLOGIA: quid per litteras, epistulam, scripturam, sermonem, conlo-
quium, litterariam conlocutionem, re-
tractationem, librum, commonitorium
significetur; II. LA LETTERA NEI
SUOI ASPETTI ESTERIORI: qua
materia ad scribendum usus sit Au-
gustinus, quo modo epistulas ipse
scripserit, quibus tabellariis sit usus;
III. DIFFUSIONE DELLE LET-
TERE E TRADIZIONE DEL
TESTO: quo pacto textus sit divulgatus
et conservatus, qua traditione
directa et indirecta ad nos pervenerit,
quae praecipuae vulgatae sint editio-
nes; IV. TIPOLOGIA: quae sint
epistulae consolatoria, exhortatoria,
gratulatoriae, litterarum intercessus.
responsa ad quaestiones; V. NOTI-
ZIE AUTOBIOGRAFICHE; VI.
FISIONOMIA SPIRITUALE: quem
nobis intimum animi conspec-
tum per litteras aperiat, quo pacto in
se ingressus ad Deum extollatur,
quanta sponsio christifideli commit-

tenda, quae ducenda via per oratio-
nem, humilitatem, veritatem, carita-
tem mutuanque dilectionem verorum
et bonorum amicorum; VII. ELE-
MENTI STORICI E DOTTRINA-
LI: de doctrinis philosophicis, de ar-
gumentis apologeticis et de disputatio-
nibus adversus ethnicos, de contentio-
nibus cum Manichaeis, Donatistis,
Pelagianis, Arianis, de argumentis bi-
blicis, de doctrinis theologicis, de re-
gulis morum, de liturgia et disciplina
ecclesiastica: VIII. STILE. Selecta
confertur bibliographia et tabula chrono-
logica litterarum. Praecipuam edi-
tionis partem constituit textus latinus
et interpretatio italica litterarum 123
Divi Augustini, quae, ut antea dixi-
mus, omnibus arridebit cum accura-
tissima et castigatissima nostraque
aetatis generi dicendi aptissime ac-
commodata videatur.

COOK, A. — DOLIN, E. — *An Anthology of Greek Tragedy*. Ed. The Bobbs-Merrill Company, Inc., Indianapoli et New York, 1972. Pag. LIV-408.

Opus scita praefatione munitur a Prof. E. Dolin exarata in qua de tra-
goediae graecae natura, de ejus ori-
ginibus deque per tempora classica
evolutione, de ludis dramaticis, de
Theatro Dionysi in urbe Athenis, de
Aristotelis in re tragica opinionibus,
de praecipuis scriptoribus dramaticis
Aeschylo, Sophocle, Euripide agitur.
Per ampla sequitur bibliographia. Pro-
bandum sane auctorum propositum:
tragoedias graecas vernaculae in angli-
cam linguam convertere quo facilius
in scaenam inducantur hac nostra
aetate ita autem ut textui primigenio
apte convenient. Quattuor tragediae
nempe ex editis hoc volumine omnium
plausu coram populo in scaenam sunt
jam commissae et reliquae induci
quoque praesto possunt sine ulla pree-

via explicatione vel prooemio. Quod summum videtur argumentum studium litterarum classicarum et antiquae Graeciae cultum in dies adaugeri. Indicem tragiciarum lingua quoque anglica praebamus: Agamemnon (William Sylvester), Prometheus Bound (Edwin Dolin), Oedipus the King (Albert Cook), Oedipus at Colonus (William Moebius), Philoctetes (Edwin Dolin and Alfred Sugg), Andromache (Jene A. LaRue), The Trojan Women (Charles Doria), The Bacchae (Charles Boer).

DI BENEDETTO, V. — *Euripide: Teatro e società*. Ed. Giulio Einaudi, Torino, 1971. Pag. XV-337.

Prof. Vincentius Di Benedetto, in re euripidea peritissimus, qui duo superiora jam opera de Euripide vulgavit, hoc volumine investigare contendit quales spectatores habuerit Euripides, quibusnam adjunctis historicis socialibusque affecti tunc temporis sese gesserint. Nam atheniensium coronae, quae ante scaenam euripideam sedebant, minime ejusdem generis condicionisque erant. Spectatores enim, qui Euripidis tragediis aderant, vehementium pugnarum partem habebant quibus Peloponnesiaco in primis bello durante polis seu civitas athenensis dilacerabatur atque dissociabatur. Tragoediae ergo euripideae plane intellegi non possunt si rationes non inspiciuntur status oeconomici vel nummarii rei publicae athenensis ultimo decem annorum spatio saeculi V ante Chr. n. socialisque discriminis inter cives pauperrimos et ditissimos. His propositis fretus Prof. V. Di Benedetto, juxta hunc indicem:

PRIMA PARTE: Razionalismo e senso del tragico nel teatro euripideo.

PARTE SECONDA: La tragedia di Euripide e la realtà politica e sociale

del suo tempo. PARTE TIERZA: *L'ultimo teatro di Euripide: verso la cultura ellenistica*, non nullos ex aspectibus praecipuis theatri euripidei attingere nititur evolutionem investigans linguae euripideae luce adjunctorum historicorum ac socialium simul atque significare contendit quedam argumenta et quedam dicendi genera apud Euripidem quibus cultura hellenistica non fortuito insignitur.

GASPAROTTO, G. — *Sull'ordine di alcuni frammenti delle "Historiae" Sallustiane*. Estratto dagli "Atti e Memorie dell'Accademia Patavina di Scienze Lettere ed Arti, Padova, 1971. Pag. 67-94.

Prof. Gasparotto hoc opusculo, Servii vestigia sententiamque insecurus, Vergili locos (*Aen.* III 396-402, 410-432), Isidoro juvante (*Etymol.* XIII, 18, 5-6, XIV 6, 34), confert cum fontibus sallustianis (*Historiae IV* 23-29 *Maur.*) ut patefiat qui loci re vera paralleli videantur quique tantum radicem habeant sallustianam.

GASPAROTTO, G. — *Ancora Lucrezio nel "Bucolicum Carmen" (XII "Conflictatio") del Petrarca*. Estratto da DIGNAM DIS a Giampaolo Vallot, Università di Padova. Pag. 211-228.

Hujus disputationis auctor locos parallelos Petrarcae et Lucretii confert ut ostendere liceat Petrarcam in manibus praesto habuisse integrum Lucretii poema in exaranda ultima ecloga ubi describere intendit bellum suaे aetatis inter regem Francogalliae scilicet et Angliae quos per duos pastores Petrarca significat atque repreäsentat.

ISTITUTO DI STUDI ROMANI. — *Certamen Capitolinum XXIII (MDCCCCLXXII)*. Curante Instituto Romanis Studiis Provehendis, Romae, 1972. Pag. 66.

Opusculo hoc disputationes illae, quae in Certamine Capitolino XXIII (anno 1972) superiores excesserunt, in lucem sunt divulgatae. Primum obtinuit locum Prof. Theodorus Ciresola cum scripto cui index "Sacrum divi Augustini lavacrum", ubi auctor "amabili scribendi genere usus, exquisita doctrina semper adhibita, memoriai repetit divi Augustini ablutionis Mediolani, anno 387 in diei festi Paschalis pervigilio", ut judices certaminis senserunt. Secundum locum habuit Prof. Reginaldus Thoma Foster cum libello "Exspectatissimum totius saeculi largissimeque nummatum pugilatus certamen" inscripto, "quo auctor divite lingua, fluenti minimeque vulgari sermone, illam tam magnificam pugnam, "Pugnam Saeculi" breviter dictam, qua Josephus Frazier principatum universorum pugilum mediomaximi ponderis conservavit atque retinuit devincendo subigendoque tandem adversario Cassio Clay, illustraverat". juxta sententiam quoque iudicium memorati certaminis Capitolini.

GRILLONE, A. — *Sintesi della letteratura greca dell'età ionica e notizie sulle origini della letteratura latina*. Estratto da ANNALI del Liceo Classico "G. Garibaldi" di Palermo, n. 7-8 (N. S.), 1970-1971, p. 279-292.

Ex litterula nobis ab auctore missa quae opusculum comitabatur, confessim patuit quid sibi ipse proposuerit. Quod —ut credimus— plane est assolutus: synopsim quandam alumnis tradere de argomento quod in indice opusculi ostenditur. Certe hanc sum-

mam de re litteraria graeca ac latina legimus "expedita ac jucunde" ("agevolmente e piacevolmente" ut nobis auctor promiserat). Nobis omnino arrisit opusculum quod lectoribus commendamus.

GRILLONE, A. — *Il simbolo della Croce nei primi scrittori cristiani (II-V sec.)*. Estratto degli "Atti dell' Accademia di Scienze Lettere e Arti di Palermo. Serie IV-Vol. XXXII-1971-72. Parte II. Pag. 41-66.

En auctoris propositum in exarando opusculo: "Animo non suscepit varias crucis formas seu genera recensere sed potius testimonia persequi de cultu crucis apud saeculorum primorum scriptores christianos". Quod ostendere voluit idque recte perfecit testimonia nempe scriptorum christianorum saeculorum II-V perlustrans: Juliani scilicet, Epiphanii, Minucii Felicis, Tertulliani, Lactantii, Eusebii, Sozomeni, Basillii, Joannis Chrysostomi, Athanasii, Gregorii Nazanzeni, Prudentii, Leonis Magni.

GRILLONE, A. — *Virgilio nei papiri egiziani*. Estratto da "ANNALI" del Liceo Classico "G. Garibaldi" di Palermo. N. 5-6 (N. S.) 1968-1969. Pag. 292-293.

Ex papyris quam plurimis in Aegypto inventis Vergilium certo patet graece conversum tanquam exemplum scriptorum pro scholis rhetoricas admodum usitatutum fuisse in disciplinis linguisticis tradendis. Hoc novi affert notula Prof. A. Grillone quam lectoribus ultro recensemus.

GRILLONE, A. — *Il sogno nell'epica latina. Tecnica e poesia*. Andò Editori, Palermo, 1967. Pag. 174.

Prof. Antonius Grillone consilium

suscepit investigandi quibus de causis poetae epicis latini somnio ut artificio litterario in carminibus usi sint. Quapropter accuratissime auctor omnes epicorum locos recensuit in quibus "somnium" sibi visum est ullo modo usurpari. Prof. A. Grillone sincero gratulamur animo quod, praeter quam exempla somniorum diligentissime examini subjecerit, "somnium" tractaverit minime ut artificium litterarum commune sed ut quid singulare propriique ingenii uniuscujusque poetae latini quem memorat. Octo igitur capitibus auctor somniorum exempla scitissime subtilissimeque investigat Annales Ennii lustrans, Aeneida Vergilii, Metamorphoses Ovidii, Pharsaliam Lucani, Argonautica Valerii Flacci, Punica Silii Italici, Thebaida et Achilleida Statii non nullosque Claudiani locos. In extremo opere index prostat somniorum quae antea sunt examinata, per ampla annotatio bibliographicā, index recentium scriptorum. Paucis verbis: opus plane absolutum sive auctoris eruditione sive in exponendis argumentis perspicuitate sive in hujus modi "somniis" litterarie simulatis miro quodam sensu psychologico interpretandis.

GRILLONE, A. — *De simulatis somniis apud graecos atque romanos epicos poetas.* Estratto da "ANNALI" del Liceo Classico "G. Garibaldi" di Palermo, N. 3-4 (N. S.), 1966-1967. Pag. 274-280.

Ut nuper de argumēto ab eodem Prof. A. Grillone tractato diximus, nunc fere nobis de hoc opusculo latine conscripto eadem asserenda. Sufficiat tamen ipsius auctoris verba proferre: "Hoc commentario de simulati somnii artificio, quo usi sunt in carminibus suis Graeci et Romani epicis poetae, mihi est in animo tractare, eaque subinde adnotare quae conside-

randa videntur". Praeter locos Vergili (Aen. V, 636-38), Val. Flacci (l, 47-50), Sil. Italici (II, 561-68) et Statii (Theb. V. 134-41), Homeri locum (ξ, 490-502) pertractat nec non Apoll. Rhod. (III, 690-92). Cum nobis visum sit lectorum interesse non nihil de argumēto a Prof. A. Grillone tractato cognoscere, opusculum latinum —benevolā auctoris venia— hoc Palaestrae Latinae fasciculo integrum divulgamus, ut aliquam superioris voluminis "Il sogno nell'epica latina" inscripti habeant notitiam, quippe qui rem maximi momenti in studiis litterarum latinarum existemus.

GARCÍA Y BELLIDO, A. — *Nueve estudios sobre la Legio VII Geminā y su campamento en León.* Ed. Diputación Provincial de León, 1968. Pág. 64. Ilustraciones 85.

Cum studiosissime apud Hispanos et in primis apud Legionenses cives XIX centesimi anni memoria celebraretur post conditam a Galba Legionem VII Geminam, non nulla ea occasione peracta sunt; inceptae quoque sunt effossiones in area seu consaep- to veteri romanorum quod Legionis VII Geminæ sedes per tria saecula exstitit et locus ubi urbs Legio (León) orta est, quae tantum habuit momentum in mediis aevi recentique historia Hispaniae. Novem lucubratio- nes, quae hoc libello continentur, ita inscribuntur juxta earum argumēta: I. *El Campamento de la Legio VII Geminā;* II. *Recinto interior adosado al trasdós de la muralla torreada;* III. *Los hallazgos romanos bajo la Catedral;* IV. *Zanja al pie de la torre junto a la puerta Renueva;* V. *Catas en el huerto de San Isidro;* VI. *Excavaciones de 1967 en la plaza del Cid;* VII. *Catas en el solar de la calle Fernando G. Ragueral;* VIII. *Canal*

de San Esteban; IX. Catálogo de los sellos latericios de la Legio VII Gemina hallados en España. Quibus novem lucubrationibus 85 imagines photographicae et delineationes respondent ad argumenta illustranda. Faxit Deus ut incepit ab indefesso Prof. A. García y Bellido, qui nuper vita functus est, a juvenibus rerum archaeologicarum peritis perficiantur in primis vero ad effossiones in urbe Legione quod spectat, ut quae sub veterum romanorum castrorum solo hucusque ja-cent, feliciter inveniantur.

ALARCOS LLORACH, E. — *Gramática estructural.* (Según la escuela de Copenhague y con especial atención a la lengua española). Edit. Gredos, Biblioteca Románica Hispánica, Madrid, 1972. Pág. 131.

Summa ad nos pervenit exspectatione haec nova editio operis linguistici Prof. Aem. Alarcos Llorach. Grammatica enim structuralis recentibus respondet theoreticis rationibus seu explicationibus linguisticis et ita illi obsistit grammaticae usu receptae quae in praecettis nititur vel illi quoque grammaticae minus certe veteri quae historica vulgo nuncupatur. Quae grammaticae fines tantum linguae attingentes, intimam ejusdem nucleum praeteribant. Structuralis autem grammatica linguam existimat tanquam disciplinae formam ac modum seu sistema, quod dicimus, elementorum plurimis vinculis et necessitudinibus conjunctorum, ita ut, quod maxime interest, potius majoris momenti linguae articulatio habeatur quam vel ipsa ejusdem materia. Hac novas in re linguistica rationes exponens Prof. Aem. Alarcos Llorach principiis saussurianis fretus ceterisque recentibus disciplinis (L. Hjelmslev ejusque asseclas memoremus oportet), mira peritia, industria, subtilitate ea omnia

hispanicae linguae aptat plurimisque exemplis hispanicis illustrat. En lectori operis index: I. *De la gramática normativa a la gramática estructural;* II. *La lengua, sistema de signos;* III. *Descripción y análisis de la lengua;* IV. *Pleremática;* V. *Los morfemeas;* VI. *Los pleremas;* VII. *Los morfemas externos y el verbo español.*

MARTINET, A. — *La lingüística sincrónica.* Ed. Gredos, Biblioteca Románica Hispánica, Madrid, 1971. Pág. 228.

Volumen hoc fit e decem disputationibus, quarum aliae difficiles inventu videntur, aliae vero ab auctore sunt retractatae, ut ex indice patet: I. *La doble articulación del lenguaje;* II. *La fonología;* III. *Puntos de doctrina y de Método en fonología;* IV. *¿Uno o dos fonemas?*; V. *Sustancia fónica y rasgos distintivos;* VI. *Acentos y tonos;* VII. *Saber porqué y para quién se transcribe;* VIII. *Sobre la variedad de las unidades significativas;* IX. *La jerarquía de las oposiciones significativas;* X. *Las estructuras elementales del enunciado.* Summo tribendum est merito quod hoc uno volumine plurima eaque maximi momenti colligantur quae saepissime ante oculos habere opus est et peritis in re linguistica et iis qui ullo modo jam sunt in ea iniciati, si inventis Prof. A. Martinet in hac dizione linguisticae structuralis vere principis, maximo commodo potiri velint.

MALMBERG, B. — *Lingüística estructural y comunicación humana.* Introducción al mecanismo del lenguaje y a la metodología de la lingüística. Ed. Gredos, Biblioteca Románica Hispánica, Madrid, 1971 Pág. 328.

Ubi librum hunc volutaveris, statim

disciplinam linguisticam percipies humanam esse per sermonem communicationem, ita ut Prof. clmisi. B. Malmberg exponit. Optimis enim rei phoneticae peritis Fouché et M. Durand familiariter usus, duce quoque A. Martinet ad investigationes scientificas perficiendas, altus disciplinae linguisticae structuralis et in primis scholae Pragensis cognitor, auctor e suo genere et loco septentrionalis, intimam habere potuit necessitudinem cum Daniorum schola cui tot ipse jure debet. Praeterea Prof. B. Malmberg investigationes phoneticas perficere licuit, cum in officinis linguisticae Haskins in urbe Eboraco Novo (New York) fuisset. Quin opus sit lectorem necessario opera Prof. B. Malmberg cognoscere, per se facile ipse perspiciet hoc volumen manibus versans qua subtilitate ingeniique acuminne argumenta phonetica tractentur. Cognitor cum sit etiam scholae linguisticae hispanicae et in primis operum Prof. R. Menéndez Pidal, estimat auctor omnem investigationem linguisticam circumscribendam esse cum analysi historico R. Menéndez Pidal tum rationibus glosematicis L. Hjelmslev. Opus legentibus praesertim destinatur qui aliquot in hujus modi rebus linguisticis potiantur cognitionibus, cum non nulla saepissime summa animi contentione lectori sint perlegenda, utpote intellectu parum faciliora. Duodecim capita, e quibus liber constat, primo tibi obtutu forsitan parum conexa videantur; integrum autem volumen cum legeris, libri unitatem percipies, nam in unoquoque capite operis praecipuae eaeque maxi momenti tractantur quaestiones de humana per sermonem communicacione deque phaenomenis linguisticis quibus haec communicatio possibilis fit inter homines.

EDWARDS, I. E. S. — GADD, C. J. — HAMMOND, N. G. L. — SOLLBERGER, E. — *The Cambridge Ancient History. Vol. II, Part. 1: The Middle East and the Aegean Region c. 1800-1380 B. C.* Cambridge at the University Press, 1973. Bentley House, 200 Euston Road, LONDON, N. W. 1. Pag. XXIII-868. \$ 27. 50.

Lectores Palaestrae Latinae cognitum habent corpus, quod verum exstat in historiographia monumentum clmisi. Universitatis Cambricensis Professoribus edendum, cum duorum primorum voluminum judicium criticum superioribus fasciculis horum commentariorum 115 et 119 protulerimus. Ibi et indolem et naturam significavimus: nunc de tertio corporis volumine non nulla nobis sunt annotanda quae cognoscantur digna aestimamus. Hoc Vol. II Partem primam constituit et ad medias solis orientis aegeique maris plagas historice investigandas pertinet. Quod in praesens in nobis est, notitiam hujus tertii voluminis lectoribus praebeamus oportet. Ut ex indice colligi potest, historia Orientis Medii Aegeique maris hoc volumine tractatur jam inde ab anno circiter 1800 usque ad 1380 ante Chr. n. En tibi argumenta quae ab auctoribus scite fuseque pertractantur: Mesopotamia septentrionalis et Syria (cap. I, p. 1-41), Aegyptus a morte Ammenemis III usque ad Sequeniem II (cap. II, p. 42-76), Palaestina media aeneaque aetate (cap. III, p. 77-116), a) Gaecia et insulae aegei maris media aeneaque aetate, b) Maturitas et perfectio cultus minoi, c) Cyprus media aeneaque aetate (cap. IV, p. 117-175), Hammurabi ejusque progeniei regiae finis (cap. V, p. 176-227), Anatolia ab anno 1600 ante Chr. n. (cap. VI, p. 228-255), Persia ab anno 7800 usque ad 1550

ante Chr. n. (cap. VII, p. 256-288), Aegyptus ab rege Hykso expulso usque ad Amenophim I (cap. VIII, p. 289-312), Aegyptus ejusque cum aliis populis negotia a Tuthmosi I ad integrum Amenophis III (cap. IX, p. 313-416), Syria ab anno 1550 usque ad 1400 ante Chr. n. (cap. X, p. 417-525), Palaestina temporibus regiae aegyptiorum progeniei (cap. XI, p. 526-556), Fastigium cultus Minoi (cap. XII, p. 557-581), Linearis scriptura et tabellae in Minois et Mycenaicis regionibus earumque auctoritas historica (cap. XIII, p. 582-626), Culmen cultus Mycenaei (cap. XIV, p. 627-658), Anatolia ab anno 1600 usque ad 1380 ante Chr. n. (cap. XV, p. 659-685), Testimonia et documenta archaeologica duobus primis mille annis ante Chr. n. transactis in Persarum planicie inventa (cap. XIII, p. 686-715). In postrema operis parte primum bibliographia prostat selecta et in diem novata et aucta librorum operumque unicuique capiti totius voluminis congruentium; deinde chronologicae tabulae conficiuntur quae ad Aegypti, Asiae septentrionalis (1792-1390 ante Chr. n.), Cretae, insularum aegearum, Graeciae (1700-1400 ante Chr. n.) historiam attinent; denique index est locorum in chartis geographicis inveniendorum et index quoque universus per utilis ad nomina propria pricipuasque res reperiendas.

ZIEGLER, K. — SONTHEIMER, W. — *Der Kleine Pauly, Lexicon der Antike*, Lieferung 22 (*Prasodes thalasa-Scaurus*). Ed Alfred Drukenmüller Verlag in Stuttgart. 1972 Col. 1121-1588. DM 30.


Ut superiores fasciculi magna ad nos hic fasciculus XXII exspectatione pervenit. Cum lectores Palaestrae Latinae satis cognitum corpus habeant e superioribus recensionibus bibliogra-

phicis quibus novos fasciculos prout in lucem prodentes divulgavimus, nihil novi aliud nobis est addendum hujus lexici indolem, naturam, momentum quod spectat, praeter quam quod non nullas voces annotare velimus, quae sive ex earum pondere et auctoritate sive ex amplitudine rei investigandae, melius nobis tractatae videntur: *Priamos, Priapos, Princeps, Proklos, Prokopios, Prologos, Prometheus, Propertius, Prudentius, Ptolemaios, Pyramiden, Pythagoras, Pytheas, Quintilianus, Qumran, Rabinische Literatur, Raeti, Raetia, Rechenkunst, Recht, Res publica, Rex, Rhetorik, Rind, Roma, Romulus, Roscius, Rutilius, Saeculum, Sallustius, Samos, Sappho*.

BLESS, W. — LEEUWEN, H. — *Manual del Catecismo Holandés*. Ed. Herder. Barcelona, 1971. Pág. 282.

Opus “*Nuevo Catecismo para adultos*” inscriptum, quod amplissime toto jam orbe terraum divulgatum ad fidem praedicandam a quam plurimis tanquam textus susceptum est, nondum proprium in pastorali animarum cura locum obtinuit. Hoc volumine autores sibi proposuerunt faciliorem reddere operam communem iis in primis qui “novo catechismo” ad christianae doctrinae institutionem tradendam utuntur. Opus tribus partibus constat: I. CONSIDERATIONES THEORETICAE necessariae in inquirenda recta via ad quaestiones persolvendas quae in catechesi adulorum offeruntur; II. MATERIA AUXILIARIS qua praesertim ex tempore fere et necessitate ad praedicandum fiduci institutores utantur; III. NOTITIAE ad privata singulorum incepta divulganda quae aliis animarum pastoriibus magnopere prodesse possunt.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.



BIBLOGRAF, s.a.

Editora de las Publicaciones SPES y VOX

Calle del Bruch, 151 Teléfs. 2571304 - 2573158 • Telegrammata BIBLOGRAF BARCELONA-9

Corpus quod VOX inscribitur:

- DICCIONARIO ENCICLOPÉDICO ILUSTRADO.** Altera editio 1965 hodierna facta. — Tria volumina 3900 paginatum (17 1/2 × 26 cm.) pulcherrimis typis excusa (linteo contecta et in tergo corio) quibus plus 3500 tabularum pictarum, 70 paginae figurarum et quamplurimae chartae geographicæ continentur.
- ENCICLOPEDIA MEDIANA.** . alumnis in primis institutionis mediae elementalis destinata, 672 pp. et 22 tabulae et geographicæ mappae coloribus illustratae.
- DICCIONARIO GENERAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA.** Alteram editionem quam R. Menéndez Pidal, Praeses Regalis Academiae Hispanicae praefatione ornavit, iteratis curis S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodalis, recognovit. XL - 1816 pp. 25 × 17 cm.
- DICCIONARIO MANUAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA.** — Recognovit S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodalis. VIII-1162 pp. 10 1/2 × 13 1/2 cm.
- DICCIONARIO ABREVIADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA.** Recognovit S. Gili Gaya. Lexicon in usum puerorum impuberum ad regulas morum et disciplinae paedagogicæ compositum. Scitis pieturis versicoloribus ornatum. XVI - 510 pp. 13 1/2 × 10 cm.
- DICCIONARIO DE SINÓNIMOS.** Samuel Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodalis, digessit, XVI - 344 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- DICCIONARIO MANUAL FRANCÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-FRANCÉS,** 3.^a edit. recognita et amplificata (tabulis grammaticis instructum). VIII - 914 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- DICCIONARIO ABREVIADO FRANCÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-FRANCÉS.** 672 pp. 13 1/2 × 10 1/2 cm.
- DICCIONARIO INGLÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-INGLÉS** (tabulis grammaticis instructum) 1.450 pp. 25 × 17 cm.
- DICCIONARIO MANUAL INGLÉS ESPAÑOL, ESPAÑOL-INGLÉS** (tabulis grammaticis instructum) 1.008 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- CURSO SUPERIOR DE SINTAXIS ESPAÑOLA,** a S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodale, exaratus. 320 pp. 15 × 17 cm.
- COMPENDIOS VOX DE DIVULGACIÓN FILOLÓGICA,** a S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae, composita:
I. Ortografía práctica. II. Resumen práctico de gramática española. III. Nociones de gramática histórica española. IV. Iniciación en la historia literaria española.
Quae Summaria in unum etiam volumen conglutinata veneant
- DICCIONARIO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO,** lexicon ab Eustachio Echauri exaratum. 830 pp., 15 × 11 1/2 cm.
- DICCIONARIO MANUAL GRIEGO-ESPAÑOL,** a Josepho M. Pabón exaratum. 724 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- SPES-DICCIONARIO ILUSTRADO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO,** cui epitome grammaticae Latinae adjicitur. Praefationem scripsit V. García de Diego. Retractavit et sermonis ecclesiastici vocabulis auxit Jos. M. Mir, C. M. F. XVI - 752 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.
- SPES-DICCIONARIO ABREVIADO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO,** 310 pp., 17 × 11 1/2 cm.

VOX - SPES: insignia ubique terrarum cognita et magni habita

Domus libraria COCULSA inscripta

- * *Ecclesiae in primis inserviens.*
- * *Catalogum librorum a nobis petas.*

Torregalindo, 5

MADRID - 16

Cerei liturgici **G A U N A** ad cultum divinum.

Insigne publice inscriptum pro «MAXIMA» et «NOTABILI»
(marca registrada)

Capitula **G A U N A** ad cereos.

Summa parsimonia — Summa mundities.

Lampades cereae **G A U N A** legitime consignatae
(patentadas)

ad Smum. Sacramentum, Vota, Domesticas Visitaciones.

Hae lampades canoni 1271 accommodantur
quibus et lumen TABERNACULO tutum redditur.

SUMMA SECURITAS — PROSPER EXITUS

Rem experire. — Statim pete a Ceraria:

NIETOS de QUINTIN RUIZ de GAUNA

(Domus anno 1840 condita)

Loculus tabellarius (apartado) 6 - M. Iradier, 44 - VITORIA (in Hispania)

B I B L I O G R A P H I A

MILLER, G. — QUADFLIEG, J. — *Manual del Nuevo Catecismo Católico*. Ed. Herder, Barcelona, 1972. Pág. 546.

Hic liber manualis utilissimum constituit commentarium superioris operis cui est index “*Nuevo Catecismo Católico*”. Uno tantum volumine aptae impartiuntur normae atque explicationes quibus 136 catechismi germanici argumenta recte evolvantur atque exponantur. En ratio ac via quibus usi sunt auctores: cuique primum argumentorum seriei *textus instar prooemii* praemittitur, ubi ejusdem *textus origo* explicatur el locus catecheticus ubi proprie exponi debet; deinde *textus elaborandus* seu nucleus doctrinalis insequitur cum contextu, locis memoratis, precibus, sententiis et in primis exercitiis; denique *cathchesis*, in qua viae ac rationes possibles rei proponendae ostenduntur. In extremo opere appendix 48 paginarum prostat per utilis ubi notiones minus usu traditae minusque captu faciles ad exercitia spectantes expllicantur, nec non bibliographia praebetur scriptorum in opere memoratorum. Explicit liber indice Documentorum Concilii Vaticanii II. Opus universum in quattuor dividitur partes quarum prima ita inscripta “DEUS NOBIS

SALUTEM CONFERT” haec continet argumenta: Deus homines vocat, Deus pater noster, Deus diligit mundum, Jesus Christus Dominus noster, Incarnatio Verbi Dei, Passio et Resurrectio Domini, Spiritus Sanctus; parte altera cui index “IN POPULO DEI CONVERSAMUR” haec etiam attinguntur: Origo Ecclesiae atque primordia, Vita et opera Ecclesiae, Baptismate abluti ad vitam fidei vivendam, Chistifidelis oratio, Sacramentum confirmationis, Eucharistiam celebamus, Peccatum christiani ejusque conversio, Christianus graviter aegrotans, Varii in Ecclesia status; tertia vero parte quae “CHRISTIANUS IN MUNDO” inscribitur hujus modi capita tractantur: Dominus Deus, Laudibus Deum in hoc mundo efferimus, Ecclesia Deum laudat, Convictus humanus atque societas, Tu tuique proximi, Sexus et matrimonium, Recta rerum usurpatio, Veri jura; parte demum ultima ita inscripta “FUTURAE CONSUMMATIONIS SPES NOSTRA” unum argumentum pertractatur quod cum indice convenit. Liber, paucis verbis, apertissimus ab omnibus aestimabitur ad nuntium christianum novis rationibus ac viis verbisque vere hodiernis tradendum.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

TEXTOS PALAESTRA LATINA

| | |
|---|-------|
| GRAMATICA GRIEGA, Planque, Aneme, Lerniaux, 2. ^a ed. | 100' |
| GRAMATICA LATINA, J. Delgado. (Agotada) | 70'— |
| REPETITORIUM, J. Delgado | 70'— |
| DE ORTHOGRAPHIA LATINA, J. Delgado | 20'— |
| INDEX ORTHOGRAPHICUS, J. Delgado | 6'— |
| CICERONIS PRO ARCHIA ORATIO, J. Delgado | 20'— |
| CICERONIS IN CATILINAM ORATIO PRIMA, J. Delgado | 20'— |
| HISTORIAE SACRAE COMPENDIUM, J. Delgado | 20'— |
| EPITOME HISTORIAE GRAECAE, J. Delgado | 20'— |
| CICERONIS EPISTULAE SELECTAE, J. Mir | 20'— |
| VERGILI AENEIDOS LIBER II, E. Martija | 20,— |
| PRUDENTI CARMINA SELECTA, E. Martija | 20'— |
| CORNELI NEPOTIS VITAE, M. Ramos | 20'— |
| CICERONIS PRO Q. LIGARIO ORATIO, M. Ramos ... | 20'— |
| MARTIALIS EPIGRAMMATA, R. Sarmiento | 15'— |
| HORATI CARMINA SELECTA, Zuloaga | 20'— |
| HOMERI ODYSSEA, Lib. I, D. Ruiz | 25'— |
| XENOPHONTIS ANABASIS, M. Ramos | 25'— |
| NOVA VERBA LATINA, J. Mir | 500'— |

Pedidos a:

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.^o 5

BARCELONA (10)

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, neenon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissas:

- 180 Ovidi - Amors
- 181 Aristòfanes - Comèdies (vol. III)
- 182 Callimac - Himnes
- 183 Virgili - Eneida (vol. I)
- 184 Hipòcrates - Tractats mèdics (vol. I)

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHÀ, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA